



— 330 —

Pro Sonnentu dilectione & Reformati  
ad. S. Stanislaum

STATUTA  
GENERALIA.  
ORDINIS MINORVM  
REFORMATORVM.

In Capitulo Generali Roma celebrato, condita,

Anno Domini, 1643.

Quæ, præcedit Bulla VRBANI VIII. per  
quam eriguntur Custodiæ REFORMATORVM  
Cismontanæ Familiaæ in Prouincias: & Eiusdem  
Alteræ subsequitur, per quam eadem Statuta

C O N F I R M A N T V R.



Pro Congregacione Selcenii PP Reformati  
ad Stanislaus 1662.  
FPO

VARSAVIÆ,  
Apud Viduam & Heredes PETRI ELERT, S. R. M. Typogr.  
anno Domini, 1662.

13339



РУССКАЯ АЗБУКА  
ЧЕРНОГЛАЗАЯ

(S) F (S)

MOTVS PROPRIVS  
SD.N.D.VRBANI VIII. Erectio-  
nis Custodiarum Reformatorum  
S. P. FRANCISCI in Pro-  
uincias Reformatas.

VRBANVS PAPA VIII.

**A**D perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis, per abundantiam diuinæ gratiæ pastoralis Officij ratio postulat, ut circa statum Regularium personarum quarumlibet præsertim illarum, quæ sub arctiori obseruantia norma gratum Altissimo exhibent famulatum, iugiter inuigilantes, ad ea, per quæ pium, eorum institutum, ad maiorem Dei Gloriam, & eius Ecclesiæ decorem propagetur, pax & concordia inter eos conseruetur, ipsiq; facilioribus in dies, in via Domini proficiant incrementis, propensiùs intendamus: ac in his eiusdem officij nostrí partes interponamus, prout conspicimus in Domino fæcilius expedire. Cum itaq; sicut accepimus, Custodiæ Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci, Reformatorum n. incupatorū, adeo excreuerint, ut in Prouincias erigi possint; distinctasque Fratrum Reformatorum huiusmodi, ab illis Fratrum de Obseruantia eiusdem Ordinis Prouincias initui, pacis inter illos stabiliendæ plurimum intersit; Idcirco Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apo-  
stolicæ potestatis plenitudine, Maioris, & Minoris Pionia, ac omnes alias Cismontanas Fratrum huiusmodi Custodias, quæ duodecim saltem Conuentus habent, in Prouincias Fratrum Reformatorum Ordinis huius-

Motiuū.

S. I.

A

modi

## 2 MOTVS PROPRIVS,

- §. 2. modi, tenore præsentium erigimus. Ac dilecto filio nostro Francisco Sancti LAVRENTII in Damaso Diccono Cardinali Barberino nuncupato S. R. E. Vice Cancellario, nostro secundum carnem, ex fratre germano Nepoti, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori, Ministros Prouinciales Prouinciarum huiusmodi, & Diffinitores, pro prima vice, constituenti, & deputandi; Capitulis vero Prouincialibus cæteros officiales facultatem concedimus. Nec non, quod Prouinciae, sic, ut præfertur, per Nos erectæ tenent proprium nomen, addito solūmodo, quod sunt reformatæ: Ac habeant locum, & præcedentiam iuxta consuetudinem dicti Ordinis post Prouincias iam erectas: ita ut eo loco permaneant, quo, dum Custodiaz nominabantur, erant. Ac insuper, quod Prouinciae Reformatæ huiusmodi habeant Procuratorem Generalem, nominandum, & eligendum à dicto Francisco Cardinale, & pro tempore existenti Ordinis prædicti Protectore; Qui Procurator Generalis, in Capitulis, & cōgregationibus, ac Diffinitorijs Generalibus sedeat immediate post Procuratorem, & Commissarium Generalem dicti Ordinis familiæ, & in eis votum, seu suffragium habeat quemadmodum habent Procurator Generalis Ordinis & Commissarius Curiæ. Finito autem suo Officio remaneat Pater Ordinis perpetuus, cum omnibus priuilegijs, exemptionibus, & præcedentijs, quæ conceduntur Procuratori Generali Fratrum de Observantia, & Commissario Curiæ eiusdem Ordinis. Ad hæc, quod quando Minister Generalis erit ex Ultramontana familia, Commissarius Generalis eligatur ex Cismontana familia, & idem seruetur in Electione Vicarij Generalis, quando Minister Generalis ex Cismontana familia discessurus est vltra montes. Reseruata Nobis hac vice Commissarij Generalis huiusmodi electione, & deputatione, suo tempore per Nos declaraanda. Deinde, quod Diffinitores Generales ex diuer-

sis Provinciis, iuxta formam Statutorum Generalium  
 dñti Ordinis, quorum tamen quatuor ex familia, & duo  
 ex Reformatis esse debeant. Dictiq; Reformati, & eo-  
 rum Conuentus, nisi per Patres alicuius ex Prouincijs  
 Reformatis huiusmodi visitari minimè possint. Gu-  
 bernarique debeant cum solis statutis Reformationum.  
 Quæ nec à Capitulo, nec à Ministro Generali possint al-  
 terari, seu immutari, sed eorum moderatio fieri de-  
 beat a Reformatis tantum, in Capitulo, vel congrega-  
 tione Generali. Nec Minister Generalis Constitutio-  
 nes, vel Ordinationes perpetuas, vel ad tempus quæ  
 Reformatos obligent, vel contra illos condere possit.  
 Ipsique Reformati ad peculiaria illius mandata, quæ  
 Diffinitorum Prouinciæ iudicio, dictorum Reformato-  
 rum Reformationi, & obseruantia non fuerint congru-  
 entia, minimè teneantur. Insuper, quod ad Visitatio-  
 nes, & negotia Reformatorum nullo modo possint de-  
 putari Fratres de familia, sed solummodo ipsimet Re-  
 formati. Ac demum, quod transitus ab Obseruantia ad  
 Reformationem concedatur, prout hactenus Obser-  
 uantes habuere; itaut dictæ Prouinciæ Reformatæ in-  
 seruant pro reformatione Obseruantium huiusmodi.  
 Sublata eisdem Obseruantibus in perpetuum, nouam  
 Reformationem erigendi, seu instituendi, facultate.  
 Quodq; Reformati prædicti possint etiam transire ad  
 Obseruantes, ex causis in Constitutione fælicie record  
 PAVLIP V. hac super re emanata, expressis. Et sic trā-  
 centes nequeant ab obseruantibus reici, earundem te-  
 nore præsentium, statuimus, volumus & ordinamus.  
 Mandantes præterea in virtute Sanctæ obedientiæ, ac  
 sub indignationis nostræ, alijq; nostri. & pro tempore  
 existētis Roman Pontificis arbitrariis pœnis, omnibus,  
 & singulis Ordinis prædicti Superioribus, & Fratribus,  
 quomodocumque, & qualitercumq; qualificatis, ut præ-  
 sentes nostras literas, ac in eis contenta quæcunque, in-

§. 9.

§. 10.

§. 11.

§. 12.

§. 13.

§. 14.

§. 15.

§. 16.

§. 17.

## 4 MOTVS PROPRIVS.

uiolalaliter obseruent : & ab eis ad quos spectat , admissi in seruari carent & faciant . Et Nihilominus ex nunc irritum , & inane decernimus , quidquid lecus super his à quaquam , quavis iuthoritate scienter , vel ignoranter contigerit attentari . Quod circa eidem §. 18. Francisco Cardinali per prælentes injungimus , quatenus ipse per se , vel per alium , seu alios , prælentes literas , & in eis contenta quæcunque , vbi , & quomodo opus fuerit , ac quoties pro parte Fratum prædictorum fuerit requisitus solemniter publicans , eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens , faciat illa authoritate nostra , ab omnibus , ad quos spectabit , inuiolabiliter obseruari . Contradictores quoslibet , & rebelles per censuras , & poenas Ecclesiasticas , aliaque opportuna iuris , & facti remedia , appellatione postposita compescendo . Legitimisque super his habendis seruatis processibus , censuras & peccas ipsas , etiam iteratis vicibus aggrauando ; inuocato etiam ad hoc , si opus fuerit , auxilio brachij laecularis . Non obstan . Fælic . recor . Bonifacij PP . VIII . prædecessoris nostri , de una : & in Concilio Generali edita de duabus dietis , aliisque Apostolicis , & in Vniuersalibus , Provincialibusque , & Synodalibus Concilijs editis , generalibus , vel specialibus Constitutionibus , & Ordinationibus . Nec non dicti Ordinis , & illius Provincialium , etiam iuram ento , confirmatione Apostolica , vel quavis alia firmitate roboratis statutis , & constitutionibus , priuilegijs quoque indulxit , & literis Apostolicis , eidem Ordini , illiusq ; Provincialis , Superioribus , & Fratribus , & quibuscumq ; aliis , sub quibuscumq ; tenoribus & formis , & cum quibusuis , etiam derogatoriarum derogatoriis , aliisq ; efficacioribus , & intolitis clausulis , irritantibusq ; & aliis decretis , in genere , vel in specie , ac alias in contrarium præmissorum , quomodolibet concessis , confirmatis , & insouatis ; quibus omnibus , & singulis , etiam si de illis eorum q ; totis tenoribus specialis specifica , expressa , & individua , ac de verbo ad verbū , non autem per clausulas generales , idem importantes , mentio , seu quavis alia expressio habenda , aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret , illorum omnium tenores , præsentibus pro plenè , & sufficienter expressis habentes , illis alias in suo robore permanuris , ad præmissorum effectum , specialiter , & expresse derogamus . Cæteriq ; contrariis quibuscumque . Datum Romæ apud S . Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 12 . Maii M . DC . XXXIX . Pontificatus nostri Anno XVI .

M . A . Maraldus .

# PRO O E M I V M.

Erectio Reformationum Nostrarum in Provincias in Capitulo Generali proximè retroacto facta, sicut corpus distinctum dedit illis, ita leges certiores dare debet. Visum est proinde Patribus Ministris & Custodibus Reformatis in predicto Capitulo, & Congregatione Generali praesenti Anno celebrata congregatis, committere Patribus ad hoc destinatis, curam reuidendi Statuta Reformationum, tam correcta, quam superaddita, sicuti apparet, eaq; Reformatis obseruanda tradere, ut sequuntur.

## C A P V T . I.

### Regula & Vita Fratrum Minorum Sc.

1. PRO obseruantia huius primi Capituli præcipitur omnibus Reformatis, vt obseruent Regulam Fratrum Minorum, secundum Declarationes NICOLAI III. & CLEMENTIS V. quæ continent puritatē ipsius, & illam exponunt secundum Spiritum & mentem Nostri Seraphici Patris S. FRANCISCI, ad quod obligantur per Bullas Pontificias, pro Institutione Reformationis emanatas.

2. Ideo sicut hucusq; fuit in vnu renuntiantur omnia

Clemens 7.

Iuluprensa.

Gregor. 13.

Cum ilius  
vicem.

Clemens 8.

Pro iuicti.

## 6 CONST. CAPVT I.

Omnia Priuilegia & Declarationes, quæ relaxant puram Obseruantiam, & manda tur quatenus prædicta Decretalia adnectantur hisce Statutis, nec non toties publicè legantur, quoties eadem ipsa Statuta legentur.

- Ad Rom. 13* 3. Et quia vera libertas Religiosa, & materia  
*Ad Heb. 13* meriti maiori ex parte consistit in Virtute Obedientiæ,  
*Bernard. Su-* iuxta Oracula Spiritus Sancti, & exemplum  
*per missus est.* datum Nobis à Saluatore Nostro CHRISTO; strictissimè iniungimus omnibus Obedientiam & Reue-  
*Ioan. Climac.* rentiam debitam Summo Pontifici VICARIO CHRISTI  
*grad. 4.* Cassian. lib. STI, & Ecclesiæ Romanæ. Inde Obedientia præstetur  
*4. cap. 1.* Pari Generali Ordinis & omnibus Superioribus Religionis re-  
spectuè. Quibus autem pœnis afficiantur inobedie-  
tes consulantur Statuta Generalia.

## CAPVT II.

*Si qui voluerint hanc Vitam accipere Eccl.*

- Cum de om-* 1. **N**Vllus ad habitum Nouitorum admittatur, nisi priùs constiterit ipsum habe-  
*buss Ecclesia-* re conditiones requisitas à SIXTO V. videlicet, An  
*sticis.* sit legitimo matrimonio natus, quod non com-  
miscerit homicidium, vel simile delictum, quod non sit inquisitus, aut bannitus, quod non habeat debita quæ excedant suas facultates, quod non sit obnoxius reddendis ratiocinijs de administratione  
bonorum, aut æris alieni.

- Clemen. 8.* 2. Præterea non concedatur habitus Nostræ  
*Paulus 3.* Religionis descendantibus ab Hebræis, vel Ma-  
*Grægor. 13.* riis vel ab alijs Hæreticis, quorum corpora seu sta-  
tua fuerunt combustæ, vique ad quartam genera-  
tionem.

3. Qui recipiendi sunt ad Habitum; sint Ca-  
tho-

*CONST. CAPVT II.*

tholicj, de nullo errore suspecti, matrimonio non ligati, corpore & mente sani, nullâ publicâ infamâ notati, & excesserint quindecim annos ætatis. Et si pro Clericis recipiendi sunt, linguam Latinâ benè intelligent, qui etiam Confirmationis Sacramentum receperint, saltēm ante Professionem.

4. Easdem *Conditiones* debent habere qui pro *Clemens 8.* laicis recipiuntur, præter linguam latinam & æta- *De receptione* tem: quia nullus pro laico recipi potest infra vi- *Nouitorum-* gesimum ætatis suæ annum, & vltra trigesimum, nisi esset adeò notabilis Persona, ut eius receptio, & sæculo ædificationi, & Religioni decori foret.

5. Non recipientur in Italia vltra Montani, *Rom. 1639.* seu vltra Marini quia eorum receptio parùm utilis est hisce Prouinciis, nec potest haberi notitia cer- ta quæ de ipsis requiritur. Excipitur Romana Prouincia catu quo non posset aliter fieri.

6. Religiosus alterius Religionis non recipia- *Vallisf. 1593.* tur, si non attulerit testimonium de vita & mori- bus à Superioribus suis, & receptus agat Nouitiatum sicut & illi qui de sæculo veniunt. Quod & fa- cient Patres Capuccini, quando authoritate Apo- *Statuta Re-* stolica debere*nt* recipi, quia aliter à nobis non *format,* possunt recipi, nec nos ab ipsis.

7. Receptio Nouitorum fiat à Patre Ministro *Urbanus 8.* & Diffinitorio in Capitulo vel Congregatione, aut post *Clem. 8.* extra illa secundum facultatem Sanctissimi Domini *Militantis Ecclesiae,* Nostri VRBANI VIII. id est cum duobus Diffini- toribus, & duobus Guardianis; quod intelligitur *Vide modifi- cationem in* quando non erunt præsentes aliij duo Diffinitores *Qui verò tecus quam ordinatum est ad habitum Stat: Prou.* receperit, tam Minister quam Diffinitores priuē- tur Officijs suis, & grauiis puniantur arbitrio Su- perioris.

8. Habitum Religionis suscipientes, ex Indul- to Apo-

*Sixtus. IV.* to Apostolico à Generalibus, Prouncialibus seu Regimini. ipsorum Vicariis possunt absolui à censuris & dispensari in omni Irregularitate.

*Clemens 8.* 9. Nouitij statim ac Religionē fuerint ingressi, pro Recept: tenentur facere Confessionem generalem omnium peccatorum.

*Nouit.* 10. Pro educatione Nouitiorum deputentur in Capitulo vel Congregatione Conuentus remoti & apti pro Spiritu, & extra formalem Nouitiatū nullus Nouitius longo tempore detineatur, cum non possit institui sicut decet.

*Vallis sol.* 11. In Capitulo vel Congregatione Magistri *x 5.9.3. Cle:* Nouitiorum eligantur Viri graues, probati, commens 8. De petenter docti, nec minores Annorum triginta *Instit. Noni-* quinque, prudentes, Zelosi, discreti, qui habentiorum. ant continuam curam Nouitiorum, Clericorum & Laicorum, docentes eos verbis & exemplis viam Domini, bonos mores, modum conseruandi puritatem cordis, doctrinam Christianam, Præcepta Regulæ. Confiteâtur & communicent saltem bis in Hebdomada, instruantur in Officio Diuinc, & & iuper omnia diligentes reddantur in studio Orationis, & deuotionis: Ad quem finem vtantur specialiter instructione Nouitiorum S BONA VENTVR æ cuius Instructionis Libellus legatur tempore Refectionis ad mensam in dictis Conuentibus Nouitiorum. ideoque toto tempore Nouitiatus Nouitiis studia Scholastica interdicuntur.

12. Magistri Nouitiorum qui non sunt Guar-diani poterunt iniungere Pænitentias ipsis Nouitiis, sed non publicè in Refectorio præsente Guar-diano: manifestabunt tamen defectus eorum ipsi Guardiano, cui liberum erit dare ipsis pænitenti-as, vel committere ipsi Magistro, vt imponat.

13. Si propter mortem vel resignationē opus fuerit

fuerit extra Capitulum vel Congregationem instituere Magistrum Nouitorum, hoc Pater Minister faciat cum consensu Diffinitorij.

Clemens 8.  
de Educati-  
one Nonit;

14. Qui sine causa approbanda à Diffinitorio recusauerit Officium Magistri Nouitorum, priuetur voce actiua & Passiua per sex annos.

Vallis. sol.

1593.

15. Sine necessitate non mittantur Fratres Nonitij extra Conuentum: quod si aliter fieri non possit assignetur ipsis sociis grauis & exemplaris, cui tamquam proprio Magistro teneantur obedire, usque dum redeant ad Conuentum.

Clem. 8. sup.

16. Nonitij qui sunt Sacerdotes durante anno Nouitiatus nullatenus possunt audire Confessiones, & teneantur facere mortificationes, sicut & alij Nonitij.

Reform. c. 4.

17. Non loquantur Nonitij sine licentia & assentia Magistri vel Guardiani, vel alterius ab ipsis deputati, nec cum saecularibus, nec cum alijs Religiosis.

Clemens 8.  
de educatio-  
ne Nonic.

Vallis 1593.

18. Non ingrediantur Cellas Nouitorum nec Professorum, excepta Cella Guardiani & eorum Magistri, ita ut ianua possit liberè aperiri exterius. Nec alij ingrediantur Cellas ipsorum exceptis supra nomina. Contrauenientes prima & secunda vice ieiunent in terra in pane & aqua, & faciant disciplinam. Pro tertia vice expellantur extra Religionem; & Professus similiter faciat dictas pœnitentias pro prima & secunda vice, & pro tercia vice Guardianus mittat illum ad Patrem Ministrum, qui assignabit ei alium Conuentum. & vice actiua & passiua priuabit per tres annos, cui zurem haec pœnitentia non competet, probacionis Capucium per mensem deferat.

Ibidem.

19. Petiae in Capucio Nouitorum assutæ sint palmares.

Ibidem.

*Valis  
1593.*

20. Non mutetur Nouitius de loco Nouitiatus nisi infirmitatis, vel alia vrgenti causa: & in tali casu ubi commoratus fuerit per sex menses, ibi colligantur vota Fratrum, quorum maiorem partem si non habebit, omnino dimittatur ex Ordine

*Ibidem Cap.*

*Exiui.*

21. Nullus ex Fratribus immisceat se in distributione bonorum Nouitij, sed in hoc serueretur Regula declarata à CLEMENTE V. Contrauenientes, si est Guardianus priuetur Officio, si est subditi declaretur Proprietarius.

22. Nemo audeat precibus aut promissionibus inducere Nouitios ad Professionem faciendam vel subordinationibus seu modis illicitis, illos impedire ne Professionem emittant. v. g. Si mutaretur Nouitius de uno loco ad aliū, & extorquerentur vota &c Superiores contrauenientes sint ipso facto priuati Officio, & subditi voto per sex annos, & etiam grauius puniantur, & tam isti, quam illi manent Excommunicati, quemadmodum Sacrum Concilium Tridentinum de mulieribus determinat.

23. In anno Nouitiatus post singulos quatuor menses quilibet Nouitius exponatur votis secretis Fratrum Conuentus, qui non sunt extranei: quod si prima & secunda vice aliquis illorum non iudicabitur bonus, & idoneus pro Religione, à maiori parte vocalium, Guardianus teneatur statim de hoc monere Patrem Ministrum, qui si propter causas vrgentissimas aliter non iudicaret, ordinabit ut statim dimittatur ex Ordine.

24. Finito anno probationis si quis non habet maiorem partem votorum, omnino ejiciatur ex Religione, quod si fuerint æqualia, moneatur Pater Minister, qui faciet sicut Deus inspirauerit,  
*Trid. sess<sup>25</sup>  
Cap. 15  
Vall. 1593.*

inc

nec ullus poterit votum dare pro Nouitiorum Professione, qui non habet completum annum post Professionem.

25. Non admittatur Nouitius ad Professionem, si non sciuerit memoriam Christianam, Præcepta, Æquipollentia, & illa quæ habent vim Præcepti in Regula; & si est Clericus, sciat ordinare Officium Diuinum; qui aliter illum admiserit, suspendatur ab Officio, si est Guardianus, & priuetur si est Magister Nouitiorum.

26. Antequam emittat Professionem de omnibus exproprietur, nec quidquam poterit pro se in Testamento relinquere, confitebitur, communicabit deuotè & postea in manu Superioris in Ecclesia præsentibus Fratribus faciet Professionem, iuxta præscriptam formam; quod etiam obseruabitur, quando recipitur ad habitum.

27. Protegetur Religio (& intimetur Nouitiis quando recipiuntur, vel ante Professionem à Superiori) quod si ipsi fallo constare ostendent conditiones supra notatas, & requisitas à Summis Pontificibus, vel si laborauerint lepra, morbo Gallico, caduco, vel alio contagioso, & hoc siluerint, vel absconderint, quod Religio non obligatur ipsis, & quantum est ex parte sua, & nunc pro tunc Professio quam emiserint, annullatur, & sibi rese ruat electionem illorum, quotiescumque sibi placuerit, licet sit clapsum quinquennium, quia talis Professio facta est in fraudem, & contra voluntatem expressam Religionis. Hæc tamen reseruatione non poterit prodesse talibus Professis, qui quantum ex parte sua manebunt obligati; & iste actus intimationis simul cum Professione conscribatur, & referatur in libro consueto.

28. Qui pro Tertiariis inseruiunt non possunt Rom. 14.11.

Vallis.

1593.

Rom. 16.39.

indui pro Nouitiis, ne Religio ex receptione simili-  
lum Personarum vlpendatur, nisi esset aliqua  
Persona talis conditionis, vt illius receptio esset  
utilitati & honori Religionis.

**29.** Professionis peractæ memoria notabitur,  
*Salman. c. 2* cum Nomine & Cognomine, Patria & subscriptio-  
ne Profidentis ( si sciat scribere ) & trium aliorum  
Patrum, nec non die, loco, & anno, in libro ad  
hoc destinato, vt seruetur authentica memoria fa-  
cti. In quo etiam libro notabitur dies, quo rece-  
pit habitum, vt sciatur quando aboliuit annum  
probationis, qui non debet esse interruptus, ali-  
ter Professio esset nulla. Et ideo declaratur, quod  
si exierit Nouitius prima vice e Nouitiatu fine li-  
centia, sive dimittat habitum sive non, perdit to-  
tum tempus præteritum, quo fuerat in Nouitiatu,  
& potest iterum recipi, & de novo incipere annum  
probationis: & si secunda vice exierit, non possit  
amplius admitti ad habitu & semel expulsus non  
possit recipi, nec in illa, nec in alia Prouincia.

**30.** Transitus Fratrum de Familia ad Reforma-  
tionem fiat in Capitulo vel Congregatione Pro-  
vinciali Reformatorum, cum sola Obedientia Mi-  
nistri Reformationis, examinando prius bene si-  
nem seu motiu talis transitus. Quod si constabie-  
t fieri ad vitadas pœnas, vel quod talis transitus no-  
sit futurus utilitati Reformationis, non recipiatur.  
Debent tamen petere licentia à Ministro qui est  
de Familia, licet non impetrant.

**31.** Non recipientur Fratres de Familia nisi in  
*Rom 1639.* illa Prouincia Reformata, quæ prius fuerat in illa  
sua Prouincia.

**32.** Statim ( ac venerint ad Reformationem ) à  
*Refor cap. 2* Patre Ministro adimantur ipsis omnia superflua,  
& conscriueuntur apud Syndicū ad finem, vt tra-  
dan-

*Congr. San-  
ctiss. anno  
1628.*

dantur Patri Ministro de Obseruantia , si ad illum  
redibunt , vel ut applicentur Reformationi , si re-  
manebunt , sed si constaret aliqua apud sacerdotes  
sibi reseruare , sine illa mora dimittantur .

33. Durante anno deliberationis prædicti Fra-  
tres non habebunt votum aliquod in Electionibus  
vel actionibus publicis , nec poterunt audire Con-  
fessiones Fratrum vel sacerdotalium , & hoc sine di-  
spensatione .

34. Qui voluerint transire à Reformatione ad <sup>Clemens 8.</sup>  
Familiam cum talibus obseruetur Breue felicis re-<sup>Pauinius 5.</sup>  
cordat. CLEMENS VIII. PAVLI V URBANI VIII.

35. Qui pluries quam semel transiuit à Refor-  
matione ab Obseruantiam non recipiatur amplius  
ad Reformationem , quia talis transitus habet se-  
cum magnam levitatem , nisi aliud iudicaret Capitu-  
lum Provinciale .

36. Iuuenes Professi tam Clerici . quam Laici <sup>Refor. c. 2.</sup>  
manu teneantur à Guardianis cum iijdem mortifi-  
cationibus & rigore , sicut erant in Nouitiatu , fal-  
tem per tres alios annos sequentes . Et primo  
anno post Nouitiatum maneant in Professorijs or-  
dinatis à Sanctitate D. N. R. P. URBANI VII L. & <sup>Urbanus 8.</sup>  
Guardianus qui aliter fecerit , non promouecatur <sup>Militantis.</sup>  
ad Guardianatum per quinque annos sequentes .

37. Clerci toto tempore Clericatus & Laici per <sup>Refor. c. 2.</sup>  
quinque annos sequentes recognoscant culpam <sup>Clem. 8 de</sup>  
suam in Refectorio , singulis diebus & feriâ iunctâ <sup>educ. Nouis.</sup>  
faciant disciplinam , vel etiam ad longioris tem-  
poris spatium secundum consuetudinem Refor-  
mationum .

38. Prædicti non loquantur cum sacerdotalibus <sup>81.</sup>  
multominus cum mulieribus , sine licet in & ali-<sup>Rom. 16.39.</sup>  
stentia Superioris , vel alterius Patris grauis Con-  
trauenientes si sit subditus , toties , quoties iei-  
<sup>net</sup>

net in terra in pane & aqua, & Guardianus punia-  
tur à Patre Ministro.

**39.** Sub iisdem poenis toto isto tempore non  
Refor. c. 4. possunt scribere , nec recipere literas sine licentia  
Superiorum , quorum conscientia grauatur in  
hoc.

**40.** Nullus Clericus mittatur ad Ordines , nisi  
Neap. c. 20. habuerit Testimonium in scriptis à Patre Guardia-  
Parisien. no , & Discretis Conuentus de sua bona vita , & ni-  
si prius fuerit approbatus ab Examinateoribus Pro-  
vinciæ . Nec possit licentiari pro Subdiaconatu  
nisi post tres annos Professionis. Nec ad Sacer-  
dotium nisi prius compleuerit Sexennium in Re-  
ligione ; & hoc statutum sit indispensabile. Mi-  
nister qui aliter fecerit suspendatur ab Officio ad  
arbitrium Superioris.

**41.** Neque durante tempore Clericatus, potest  
Rom. 1642. mitti ab aliquo Superiori extra Provinciam, quā-  
uis propter causam studij, sed studeant in sua Pro-  
vincia.

**42.** Nullus Laicus potest fieri Clericus sine licen-  
Salm. c. 2. tia Capituli Generalis , in quo bene examinetur  
Rom. 1615. Spiritus , & sufficientia ipsius . Quod si transierit  
c. 1639. ad Statum Clericalem, computet suam antiquita-  
tem in ordine à die Clericatus , & non à die quo-  
recepit habitum. Qui verò sine legitima causa  
fecerit hunc transitum, licet esset Sacerdos, redeat  
ad pristinum statum Laicalem , Corona Clericalis  
deponatur ab ipso & non permittatur recitare  
Officium Clericorum, sed Laicorum , & sine capu-  
cio per duos annos destinetur ad exercitia hu-  
milia coquinæ.

**43.** Et ne talis præsumptio cadat illis in mente,  
Refor. c. 2. prohibetur Laicis, habere libros in Cella, sine ex-  
pressa licentia Patris Ministri, præter Regulam,  
& aliquem librum Spiritualem.

44. Circa ablutionem scutellarum, & aliorum  
vtensilium, seruetur antiqua consuetudo cuiuslibet Reformationis.

Ibidem

## DE APOSTATIS.

1. Quod vatumuis per leges, & immemorabitur Salman. 6. 2.  
consuetudinem Ordinis, illi sint Trid. sess. 25  
Apostatae, qui cum habitu & socio, vel sine habitu cap. 4  
& socio, non impetrata prius licentia, a superiori- Vallis 1593.  
re, exequit e Conuentibus, licet sub praetextu re-  
currendi ad Praelatos; nihilominus quia haec cul-  
pa nabet suos gradus, ut proportionata applice-  
tur pena, Ordinantur sequentia statuta.

2. In primis authoritate Apostolica in hac par-  
te concessa, & in virtute praetentis Statuti, decla-  
rantur Excommunicati omnes Apostatae nostrarum Innoe. 4. vii  
Apostatas.  
Reformationum.

3. Praecipitur localibus Superioribus, ut Apo- Vallis 1593.  
statas denuncient Excommunicatos in Refectio-  
ne immediate sequentij, & itatim moneant Mini-  
strum Prouincialem, ut illos notet in libro Apo-  
statarum, ut si redierint, sciatur excessus Apo-  
stasie.

4. Qui sine licentia tacita vel expressa sui super-  
ioris exierit ex Conuento, & morabitur extra,  
per diem naturalem, committet Apostasiam le-  
uem, & erit incarceratus per tres dies, & priuatus  
voce actiua & passiua per tres annos, & iisdem  
pena subiacebit ille, qui egressus sine licentia  
sub praetextu recurrendi ad superiores, effectiu-  
& directe ad illos habebit recursum.

5. Qui egressus cum licentia pernoctabit extra Ibidem  
Conuentum, licet sit Conuentus Ordinis) sine li- Salm. 6. 2.  
cen-

centia & necessitate committit Apostasiam Ieuotrem, cuius pæna est carceris duorum dierum, & priuationis voti per duos annos.

Ibidem.

6. Qui autem egressus sine licentia, redibit academ dic, committit Apostasiam leuissimam, pro qua debet incacerari per diem, & per annum priuari voto.

Ibidem:  
Rom. 1639.

7. Qui multiplicabit supra dictos gradus Apostasie, multiplicentur etiam ipsi pænæ taxatæ, & cui non conueniat Priuatio voti per annum, per mensem deferat probationis Caputum.

Ibidem

8. Per tres dies morari extra Conuentum, licet sub prætextu adeundi superiores, si hoc fiat sine licentia est Apostasia grauis, & sua pæna pro prima vice erit mancipatio carceris per tres dies, Ieiunium in publico Refectorio in pane & aqua, & priuatio suffragiorum per tres annos. Pro secunda vice duplicantur dictæ pænæ & ferat probationis Caputum per tres menses, & habeat ultimum locum, inter illos qui sunt suræ Professionis. Pro tertia & quarta vice puniatur pæna Apostasie grauior & grauissimæ, & cui non conueniet Priuatio voti, reognoscatur culpas tanquam Nouitius per annum vel ultra, iuxta gradum Apostasie.

Ibidem  
Rom. 1565.

9. Qui autem morabitur extra Conuentum ut supra per Octiduum, committit Apostasiam grauorem, & debet incacerari per tres Menses, & Ieiunare in pane & aqua in publico Refectorio per tres dies in qualibet septimana, feria sexta facere disciplinam, & maneat, priuatus voto per sexennium; secunda vice sit priuatus perpetuo voce actiua & passiua maneat in carcere per annum, & per tres menses ferat probationis Caputum; quo tempore singulis ferijs Sextis faciat disciplinam in publico Refectorio, habeat ultimum locum

locum in suo Ordine, lauet scutellas, & non egrediatur de Conuentu nisi occasione Processionis, & vtilitatis publicæ. Tertia vice mittatur ad Trimeres ad arbitrium Diffinitorij,

10. Qui vltterius relicto habitu non rediret per spaciū duorū mensū, vel cum habitu non rediret per duos menses, ad instar illius, qui committit Apostasiam grauissimam debet pro prima vice incarcерari per tres menses, ferre Caputium probationis per tres annos, in quibus singulis ferijs Sextis debet iejunare in pane & aqua in publico Refectorio sine Caputio, & priuari voto per duos annos, habere vltimum locum in suo Ordine, toto dicto tempore lauare scutellas, & pro carcere habere Conuentum, ex quo exire non possit, nisi pro Processionibus, & propter publicam vtilitatem. Pro secunda vice, duplicantur illi supradictæ pænæ, & etiam augeantur ad arbitrium Diffinitorij.

11. Pro tertia vice vel expellatur extra Ordinem, tanquam incorrigibilis, velmittatur ad Trimeres per decennium, & si superuixerit & fuerit in Sacris declaretur perpetuo suspensus; & quando non conueniret ipsi priuatio voti in grauiori Apostasia, recognoscat culpam tanquam Nouitius per duos annos, & in grauissima Apostasia per quatuor annos, ac faciat disciplinam singulis feriis sextis durante dicto tempore.

*ibidem.  
Rom. c. 1639.*

12. Ille qui sine necessitate iuerit ad alium locum, vel in itinere extra viam, vltra impetratam licentiam, vel excesserit tempus in ea præscriptum, vel iuerit de uno loco ad alium sine socio, declaratur incurtere Apostasiam aut leuem aut grauem, secundum excessum, Prælatorū iudicio.

13. Non licet exire extra terminos Conuentuū

*Salman. c. 2 vel Prouinciarum cum Obedientialibus Prouincialium vel Generalium, nisi prius ostendatur obedientia Prouincialis superiori locali, vel Generalis Prouinciali, qui si procul fuerit, & negotium non patitur dilationem iudicio superioris localis, praesentibus testibus ostendat obedientiam, & per literas significet suum recessum Prouinciali & superiori localis, ad calcem obedientiae notet diem quo recessit e Conuentu. Regressus deinde teneatur certiorem facere de hoc suum Prouincialem per literas; qui aliter fecerit, declaretur incurrisse Apostasiam magis vel minus grauem iudicio Prælati.*

*ibidem.*

*Salm. c. 15.*

14. Non potest Superior localis mittere Fratres extra terminos suæ quæstæ, nisi à Prouinciali talis facultas ipsi fuerit concessa; aliter faciens Superior localis priuetur Officio, & Frater qui fuit missus ab eo, committet leuem Apostasiam.

15. Licentiâ Patris Generalis eundi extra Provinciam debet exequi in spatio duorum mensium, aliter nulla sit, & qui cum illa ambulauerit, transactis mensibus duobus, committet Apostasiam grauem, vel grauiorem iudicio Prouincialis.

*Vallis. 1593. Rom. 1575.* 16. Si præter Apostasiam adsit suspicio alicuius delicti commissi ab Apostata, ordinatur Prouinciales ali sub pena priuationis Officij, vt de hoc formet processum Iuridicum, & illum conseruet in Archivio, vt redeunte Apostata possit procedi contra ipsum.

*Paris. 1579. Rom. 1571.* 17. Tencantur Prouinciales statim monere Procuratorem Generalem de Apostatis, qui extra suas Prouincias fugerint, nec ullus Prouincialis audeat in sua Prouincia, vel Guardianus in suo Conuentu retinere Apostatam aliquo modo, sed postquam absoluenter intell. illum, remittant cum literis

literis testimonialibus ad suam Prouinciam. Qui contra facerit priuetur Officio: quæ pæna fulminatur etiam contra illos, qui postquam absolucent Apostatas, mittunt illos ad Curiam Romanā, vel ad præsentiam Patris Generalis. vel alibi extra ipsorum Prouincias.

18. Si contingat Procuratorem Generalem Reformationis absoluisse, & remisisse, Apostatam ad *Salm. c. 20.*  
*Valis. 1593.* suam Prouinciam, hoc intelligatur de solis pænis Apostasæ, non autem aliorum delictorum, quæ commiserint, quæ spectant ad Ordinarios, nisi Pater Generalis aliud iudicaret & ordinaret.

19. Ut cognoscantur Apostatae, præcipitur, vt nullus extraneus admittatur ad Conuentum, nisi prius ostenderit Obedientiam Superiori nisi esset aliquis Pater grauis, & notus, de quo tale delictum non præsumeretur. Qui contrarium fecerit, priuetur Officio ad arbitrium Prouincialis. *ibidem.*  
*Sixtus 5.*

20. Quando regreditur Apostata, solemniter *Neap. c. 29.* in Communitate Fratrum absoluatur ab Apostasia iuxta formam quæ præscribitur, faciendo disciplinam per spatum vnius miserere, & iejunet in pane & aqua in publico Refectorio, & etiam puniatur grauius ad arbitrium sui superioris.

21. Renuentes Apostatae subire prædictas pænitentias, sint ad alias omnino adstricti, etiam cum auxilio brachij sæcularis. *Valis. 1593.*

22. Declaramus, quod omnes Prouinciales & superiores locales habeant facultatem excommunicandi, capiendi, & incarcerandi Apostatas extraneos, qui ad illorum Prouincias vel Conuentus venerint; quod in casu necessitatis communicatur etiam authoritate Apostolica iubeditis. *Salman. c. 2.*  
*Vitram. c. 6.*  
*Valis. 1593.*

23. Ideo bene attendant Superiores, ne per loca suæ Iuris dictionis vagentur Apostatae, sed Congr. Rom. *ibidem.*  
*Congr. Rom.*

procurent illos statim capi, & incarcerari, dum modo sine scandalo possint hoc facere, & sub pœna priuationis suorum Officiorum Ministri non mittant Fratres, nec solos, nec cum Tertiariis associatos.

*Neap. c. 28.* 24. Nullus possit incorporari in aliqua Provincia, nisi illius fuerit Natius, & cum consensu Diffinitorij vnius & alterius Prouinciae, & nisi fuerit commoratus in illa in qua vult incorporari saltem per duos annos; & incorporatio aliter facta, nulla sit, nisi Pater Generalis aliter ordinauerit. Post incorporationem tantum illos præcedat, qui fuerunt induiti post suam incorporationem: concedimus tamen Capitulo Provinciali, vt possit dispensare in hac præcedentia, cum aliquo Patre graui, si videbitur expedire.

*Rom. 1639.* 25. Deinde ad reprimendam audaciam Apostatarum, Ordinamus ut nullus qui fuit Apostata, possit promoueri ad Officia Ordinis, nisi laudabiliter vixerit per decem annos post Apostasiam. Quod si cum aliquo Patre Qualificato post mendicitatem pœnitentiæ vtendum esset misericordia, conceditur quod Capitulum Prouinciale possit dispensare cum maiori parte votoru secretorum.

## Modus & Forma Vestiendi. Omnes Reformati induantur ut infra. Sc.

1. *M*ateria panni sit vilis & abiecta, quem omnem sensualitatem excludat, secundum varias regiones. Pannus sit cordelatus, & qui alio panno non approbato à suo Ministro induetur, priuetur voce actiua & Passiua per sex annos, & Minister qui non exequetur que supra priuetur Officio.
  2. *V*bi
- Trid. sess. 25 c. 1. & 2.*
- Salm. c. 2.*
- Vals. 1595.*

2. Vbi est commoditas mendicandi lanam, Ministeri adhibeant diligentiam, ut per totam Proviniam queratur, & vbi non sunt instituta Officinæ ad conficiendos pannos, sollicitam curam habent Ministri introducendi illas, in Conuentibus, ad hoc deputatis; & si opus fuerit aliquo subsidio, fiat taxa à Capitulo Provinciali, & omnes Conuentus contribuant illud quod fuerit taxatum.

3. Habitus quoad longitudinem protendatur usque ad partem superiorem pedis, & in latitudine nec communiter non excedat 13. palmos, nec minus 12. Corpulentis addatur illud quod fuerit necesse. Manicæ protendantur sine latitudine extraordinaria in medio, nec excedant primam iuncturam manus: Latitudo vero supra humeros non excedat duos palmos, & in extremitate manus unum palmum Tunica sit breuior Habitū, sic etiam & in manicis.

4. Caputium vero digito uno protendatur ad iuncturas usque humerorum, nec breuius sit; In parte posteriori non minus quam tribus digitis distet a cingulo seu chorda. Ante pectus protendatur rotundum secundum proportionem humerorum: Et ante frontem conuenienter etiam protendatur. Nec fiant nisi duas plicæ in parte anteriōri Habitū, & duas vel tres retro. Nec deferatur aliud Caputium assutum mantello, quandoquidē Regula unum & non duo Caputia concedit.

5. Longitudo mantelli protendatur, sed non excedat genu, & in quibus fuerit excessus vel defectus reducantur ad dictam mensuram.

6. Si aliquis Minister contra fecerit circa præscriptam formam vestiendi, per annum suspendatur ab Officio, & subditus priuetur voce actiua & passiua per tres annos, & cui non conuenit hæc poena

Refor. c. 2.  
Rom. 1639.

Neap. c. 9.  
Salm. c. 2.  
Refor. c. 2.

*ibidem.*

Hoc Statutū  
non est acce-  
ptatum in Po-  
lonia.

Vide modifi-  
cationem in  
Statutis Pro-  
vincialibus.

Rom. 1612.

*ibidem*  
Rom. 1639.

pæna, deferat probationis Capucium per tres menses.

7. Nullus audeat dormire sine habitu, Caputio

*Salm. c. 2.* Chorda, & fæmoralibus, & non nisi in sacco stra-

*Vallif. 1593.* mineo, cum puluinari etiam stramineo (nisi ali-

*Refor. c. R.* quis cum licentia Superioris vellet dormire supra

Tabulas, vel storeas.) Nec deferat Caputium dif-

futum ab Habituo. Transgressores pro prima vice

faciant disciplinam in publico Refectorio, pro se-

cunda vice puniātur ad arbitrium superioris loca-

lis vel Prōuincialis. Chordæ fiant ex canabe sim-

plici, grossa, sine curiositate, & tales etiam sint

corrigiæ Sandaliorum sub pæna disciplinæ. Non

deferant Fratres petias particulares ex lana sine

necessitate, & licentia Ministri, sub pæna disciplinæ in communitate Fratrum per vnum Miserere;

teneantur tamen Guardiani prouidere de simili-

bus secundum paupertatem pro occurrentibus

necessitatibus. In itinere conceduntur galeri stra-

*Refor. c. 2.* minej, sed nunquam ex lana qui omnino prohi-

bentur.

*Salm. c. 3.* 8. Nullus Frater sine necessitate & licentia ex-

*Urban. 8.* pressa audeat deferre crepidas, calceos, tibialia

capitegia, nec in publico nec in priuato sub pæna

ieiunandi interra in pane & aqua, tenendo ante se

illud in quo commiserit defectum; quod si non se

emendauerit, priuetur voce actiua & passiua per

duos annos.

*Refor. c. 2.* 9. Fæmoralia & Strophiola seruentur in Com-

munitate, & singulis diebus Sabbatiuis, vel tem-

pose magis opportuno distribuantur Fratribus,

& vbi non fuerit talis consuetudo, dentur pro quo

libet Fratre à Guardiano, tria fæmoralia, & qua-

tuor Strophiola, quæ non possunt dari ad lotio-

nem extra Conuentum, sub pæna priuationis voti

per

per annum, vel deferendi probationis Capucium  
per tres dies, cui priuatio dicta non conueniat.

10. Pater Minister & Guardianus diligentem *Vallis. 1597*  
curam adhibeant, vt communitates de omnibus *Salm. 1618.*  
rebus necessariis prouideantur, ita vt Fratres tam  
æstate quam hyeme habeant commoditatem mu-  
tandi sibi Habitū, quos Frater qui curam habet  
communitatis mundos & repetiatos conseruet, ne  
proprietas in Reformationem introducatur;  
quod si in hoc dictus Frater negligens fuerit, ieiun-  
nio in pane & aqua puniatur à Patre Ministro,  
vel Guardiano.

11. Qui sine licentia Patris Ministri Habitum *Refor. c. 2.*  
sibi assignatum, siue ex Communitate acceptum,  
cuiquam extra Ordinem existenti concederit, si  
fuerit Guardianus Officio priuetur, subditus ve-  
rò declaretur proprietarius. Possunt tamen Guar-  
diani de consensu discretorum deuotis, & maxi-  
me moribundis, habitus attritos concedere pro  
lucrandis Indulgencij.

12. Singuli Fratres radantur ad minus semel *Salm. c. 2.*  
intra tres septimanas; tonsuræ autem tam Cleri-  
corum quam Laicorum circulus ita formetur, vt  
supra aures uno digito eleuetur. Corona vero  
Clericorum & Sacerdotum, non sit maior seu la-  
tior tribus digitis, nec minor duobus: contra faci-  
entes tam rafus ( si est in culpa ) quam tonsor fa-  
ciant disciplinam, & tonsura statim iuxta præscri-  
ptum reformatetur.

### C A P V T III.

Clerici faciant Diuinum Officium. Sc.

1. A vdito primo signo Campanæ omnes Fra- *Salmin. c. 3.*  
tres legitime non impediti, conueniant *Rom. 1575.*  
*& 1587.*  
ad *Vallis. 1593.*

ad Chorum, ibique cum silentio & Oratione corda sua Domino præparent, deinde cum Religiosa grauitate, voce sonora, pauca competenti recitent, vel cantent Horas Canonicas sine fractione cantus, & contrapunctis, non innitantur subselliis, maximè ad Te Deum Laudamus, Magnificat, ad Benedictus, Nunc dimittis. Negligentes grauiter puniantur, & superiores locales conniuentes in hoc, eodem modo puniantur a Ministro & Visitatoribus.

2. Inchoro non contendatur de Rubricis sub

*Ceremon. e-  
dit. an. 1639* pæna disciplinæ, sed in dubiis standum est determinationi, seu decisioni Rectoris aut Vicarij

*Tolet. 1633* Chori, qui in capitulis & Congregationibus elegantur, taliter pro Conuentibus Principalibus: in aliis verò hoc Officium præstabit Guardianus, vel Vicarius Conuentus, iuxta dispositionem Diffinitoriij.

3. Officia deuotionis vbi est consuetudo, di-  
*Vallis. 1593* cantur voce demissa, sed intelligibili, quæquidem  
*Pius 5. in* Officia poterunt intermitte in aliquibus feitiuitatis, præsertim in locis vbi sunt studia ad arbitrium superioris localis, iuxta consuetudinem. Quando autem Officium B. MARIE Virginis erit recitandum ex debito, in vesperis & Matutino recitetur voce submissiori, in alijs verò Horis eadem voce sicut Officium Diuinum

4. Litaniæ eiusdem B. M. V. dicantur secundum consuetudinem Reformationum.

*Salm. c. 3.* 5. Quilibet Frater qui non occupatus publicis  
*Neap. c. 1.* Officiis, vel alio legitimo Officio, & impedimento, non interfuerit Horis Canonicas præsertim Matutino in prima proxima refectione recognoscat culpam, & detur ipsi pro pænitentia, vt expansis brachiis oret quinque Pater & quinque Ave; pro secunda

*Refor. c. 3.*

*Salm. c. 3.*  
*Neap. c. 1.*  
*Vallis. 1593.*

secunda vice in eadem septimana relinquat pitantiam; quod si fuerit in hoc defectuosus, toties quoties faciat disciplinam, quam etiā faciat Guardianus, si fuerit negligens in exequendo dictas pñnas.

6. Omnes Laici præsentabunt se in Choro, ad initium Matutini, & ad Te Deum Laudamus. Quod si non dicatur, compareant ad principium laudum: Contra venientes puniantur ut supra.

Refor. c. 3.

7. Nullus exeat ab Officio Diuino, Oratione, Refectione cõmuni, sine licentia Superioris sub pñna arbitraria.

ibidem.

8. Matutinum recitetur semper nec citius ante quinque horas, nec tardius ante septem horas noctis, sub pñna suspensionis ab officio Superioris localis.

ibidem.

9. Recitabitur Prima in æstate sub ortu Solis, in hyeme autem in aurora, nisi locorum dispositio aliter requirat.

10. Officia Nostra propria fiant secundum Rubricas Breuiarij vltimo correcti; de Sanctis vero particularibus Episcopatum celebretur Officium sed sine Octaua.

11. Infallibiliter fiant duæ horæ in Communi Orationis mentalis, singulis diebus, una hora semper post Completorium vertendo clepsydram ad Nunc dimittis, & alia hora ab Inventione S. Crucis, vñq; ad Nativitatem E. M. V post Nonam, & in diebus ieiuniorum ante Nonam Permittitur tamen Patri Ministro vt cum Diffinitorio in aliquo Conuentu possit mutare tempus dictæ orationis pro satisfactione populi; & legatur à primo Acolyto ante Orationem vnum punctum ad meditandum.

Refor. c. 3.

12. Omnes ad Orationem conueniant, si non

D

fue-

ibidem.

fuerint grauissimè occupati, vel impediti; ad quod exhortantur etiam Lectores & Concionatores actuales secundum ipsorum possibilitatem. Quod si aliquis defuerit, puniatur eo modo, quo punitur, qui negligit Matutinum.

13 Tempore Diuini Officij & Orationis, nullus vocetur à Choro ad instantiam fæcularium, nisi fuerit Persona talis conditionis, quod non possit aliter fieri, & tamen significetur priùs Superiori, qui puniet & Ianitorem qui vocabit, & Fratrem, qui exibit sine licentia.

14 Defuncto Summo Pontifice, vel Protectore, vel Generali, vel Vicario Generali Ordinis, vel Commissario Generali Cismontano, quilibet Sacerdos celebret tres Missas pro animabus illorum; pro alijs Fratribus celebrentur tres Missæ vel una secundum consuetudinem.

15 Mortuo Fratre, Guardianus teneatur intimare per omnes Conuentus Prouinciarum obitum ipsius, vel Patri Ministro, ut faciat ordinationem celebrandi Missas. Clerici pro prædictis dicant Officium Defunctorum. Laici centies Pater & Ave Maria, & toties Requiem.

16. Obseruant omnes antiquam consuetudinem Religionis eundi statim post pulsum ad Ave MARIA ad Ecclesiam, pro examine conscientiæ, gratias agentes Deo de beneficijs acceptis recomendantes futuras necessitates, & lucrantes Indulgenciam

17. Pro obseruantia Silentij præcipimus, vt sit perpetuum in Ecclesia, in Choro, in Facristia, in Refectorio, in Dormitorio. In æstate dato signo post prandium usque ad Nonam, & in diebus ieiunij usque ad Vesperas, & à pulsu pro Ave MARIA, usque ad pulsum pro Matutino. In cellis erit temper-

*ibidem.*

*ibidem,*  
*Rom. 1615.*

*ibidem*

*Resor. c. 3.*

*Salmis. c. 3.  
Vallisfol.*

*1543.*

Silenc-

Silentium. Et qui notabiliter fuerit in hoc defectuoso, dicat culpam in Refectorio & puniatur à Superiori locali, secundum rationem excessus. Et in his locis, & ubique non solum debet seruari silentium oretenus, sed etiam in ambulando, & in similibus actionibus; & non possint illud dispensare in Refectorio Guardiani, sub poena arbitria, nisi in festiuitatibus solemnibus, & in casu necessitatis cum consensu Discretorum.

Congr. Rom.  
1642.

18. Non audent Fratres iuniores viginti quinque annis ingredi cellam aliorum, nisi Superiorum vel Magistrorum: Nec alij celles ipsorum, licet ianua exterius possit aperiri, sub poena disciplinæ. Quod si Cellæ fuerint etiam occlusæ, procedatur contra ipsos, tanquam de suspecto consortio.

Refor. c. 3.

19. Sine licentia Superioris; vel sine Patre aliquo maturo non introducatur sæculares ad Claustra interiora, & tunc loquendum est voce submissâ, & modestâ, & ideo præcipitur expressè vt in omnibus portis per quas ascēditur in dormitorium, & in locis interioribus Conuentus fiant claves communes sub poena suspensionis Guardianis, qui hæc non obseruabunt, & Provincialibus qui non procurabunt vt obseruentur.

Salm. c. 3.  
Valis. 1593.

20. Non admittantur sæculares ad comedēdum cum Fratribus in Refectorio nisi esset Persona adeo Nobilis, & benefactrix, vt si cōtrariū fieret, iudicio Superioris & Discretorū, esset admiratio & ingratitudo; & tunc legetur sicuti est in vsu Contrauenientes puniantur à Patre Provinciali.

Congr. Rom.  
1642.

21. Sæculares præsertim inuenes, nullo pretextu pietatis, vel consanguinitatis, ultra tres dies manere in Cōuentu permittatur, contrauenientes puniantur à Patre Ministro.

D 2 22

ibidem.

Refor. c. 3.

22. Si quis admiserit vel receperit in conuentu banitos, vel contumaces; Superiores priuentur officijs suis, Subditi vero voto per tres annos; vel alijs poenit punitantur, quando priuatio illis non conuenit.

Salm. c. 3.

Vallis. 1593.

23. In ieiunijs ex obligatione, inter quæ annumeramus ex immemorabili consuetudine Vigilia S. FRANCISCI in nullo Conuentu Reformationis possunt comedioua, vel lacticinia in Refectorio, sub poena Superioribus priuationis Officiorum.

ibidem

Refor. c. 3.

24. Exhortantur omnes Fratres, vt ieiunent Quadragesimam benedictam, a Christo Domino suo sancto ieiunio consecratam; sed non tollimus libertatem Regulæ.

25. Si aliqua Provincia vel Fratres particulares voluerint insuper seruare Quadragesimas Spiritus Sancti, Assumptionis B. M. V. S. Michaelis Archangeli, ad imitationem Seraphici Patris Nostri FRANCISCI, volumus vt Guardiani teneantur prouidere de cibis Quadragesimalibus, secundum sanctam paupertatem.

ibidem.

26. Diligenter curent Guardiani, & alij Officiales, vt sacra vasa Ecclesiæ supellex Sacrae, libri Chorales, & alia dedicata seu consecrata, pro servitio Dei, manu teneantur cum debito decore, & munditia; & singulis diebus Dominicis, aut Feriis quintis mutetur seu renouetur Sanctissimum SACRAMENTVM, quod in pyxide ex argento deaurata asservetur Singulis annis procuretur Olcum Sacrum conseruandum in vasculo argenteo, vel stanneo, in loco decenti; & transgressores punitantur à Provincialibus & visitatoribus

ibidem.

27. Sub poena excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, accipere, alienare, transferre, auferre, a Nostris Ecclesijs Reliquias, siue in toto siue in

ue in parte; nec possit absolui, nisi restituat, & si fuerit conuictus, incarcetur per mensem, priuatus etiam voto per quinquennium vel per Mensem servat probationis Capucium, nec ullus se ingerat in disponendis Reliquis, sine licentia Prouincialis & Dilcretorum Conuentus.

28. Præcipitur expresse ne in posterum recipiantur, & ꝑo minus procurentur paramenta ex brocato, vel ex tela aurea, vel argentea, vel cum ornamentis eiusdem matris, licet oblata fuerint a Dominis Capellæ seu Sacelli, sub poena contrafactualibus, & conscientientibus priuationis vocis affective & passione per tres annos, vel alia maiori ad arbitrium Prælati.

26. Prohibentur vasa aurea, argentea, exceptis calicibus, patenis, & pyxide: quæ autem in praesenti retinentur, statim alienentur per Syndicum Apostolicum; sub pena priuationis Officii Superioribus localibus vel Prouincialibus, nisi haec obseruauerint.

30. Prohibentur in Nostris Ecclesiis & Conuentibus omnes soni, & Cantus Figurati, & tantum permittitur cantus Choralis, iub pena arbitraria Superioribus.

31. Procurantes vel introducentes organum in aliqua nostra Ecclesia, incurvant excommunicationis sententiam.

32. In Conuentibus nouis non erigantur nisi duæ campanæ correspondentes itarui nostro.

33. Obseruetur pia conuentudo faciendi disciplinam ter in Hebdomada, in Ecclesia, immediatè post Matutinum, & in Hebdomada Sancta satem in tribus ultimis noctibus.

34. Ter similiter in Hebdomada, sicut moris est Superior excipiat culpas ab omnibus Fratribus con-

Refor. c. 3.  
Urbanus 8.  
Militantis.

ibidem.

Refor. c. 3.

ibidem.

ibidem.

ibidem.

ibidem.

congregatis, vel in Capitulo, vel in Refectorio,  
& illos corrigat, sicut fuerit necesse.

*S. Bonavent.*  
*in Reg.*  
*Salm. c. 2.*  
*Vallis. 1593.*  
*Urban. 8.*  
*Militantis.*

35. Nullus Frater audeat equitare, vel in lectica, vel in rheda aut curru vel super quolibet alio iumento: quæ omnia comprehenduntur in illis verbis. Fratres non equitent; nisi ad strictus necessitate, vel infirmitate, pro subditis iudicanda, à Guardianis & Discretis localibus, & pro superibus ab ijsdem Discretis localibus, qui dabunt illis testimonium in scriptis. Et qui sine tali testimonio equitabit, si est Superior priuetur Officio, si est Subditus per tres annos voce actiuæ & passiuæ. Quod si non poterit haberi præsentia supradictorum, teneatur Frater manifestare necessitatē, quā fuit coactus equitare, ijsdem Superioribus & discretis qui Iudicabunt vtrum necessitas fuerit sufficiens; quod si non fuerit, puniatur ut supra.

*ibidem.*

36. Illi qui propter infirmitatem, aut indispositionem naturalem non possunt ire pedestre, non possunt fieri Ministri, nec Custodes Provinciales, neque ire ad prædicandum; quod si contrarium fuerit factum, electio ipsorum sit ipso facto nulla. Et prædicatores per quinque annos priuetur Officio Concionandi.

*Rom. 1639.* 37. Pro Obscurantia Rituum & Cæremoniarum Ecclesiæ, practicetur & seruetur vbique Cæremoniæ impressum ex Ordinatione Capituli Generalis Romani A. 1639. sub pænis in illo contentis.

## CAPVT IV.

Præcipio firmiter Fratribus uniuersis, ut nullo modo denarios recipiant vel pecuniam per se, vel interpositam personam. Sc.

1. NE idolum avaritiae ruina Religionis,  
intret & profanet Reformationem, præ-  
cipimus per Sanctam Obedientiam, vt nullus verb. signific.  
Fratrum recipiat per se vel per alios, vel quocumque modo faciat portari, aut in cella vel alio quoque loco teneat aut seruet pecuniam: & qui legitime conuictus esset de tali peccato, declaratur in-  
cidisse in pœnas proprietarii, videlicet carceris formalis per sex menses, & priuationis Officiorum per sex annos. Quod si secunda vice cōmiserit hoc peccatum, duplicetur pœna carceris, & declaretur perpetuo priuatus actibus legitimis; & cui non conuenit hæc pœna, ferat probationis Caputium per sex menses.

2. Si quis curauerit emi aliquid sine licentia Refor. 1642.  
Ministri (quod est verus recursus ad amicos Spirituales, illicitus subditis ex Regula) pro prima vice comedat in terra panem & aquam. priuetur voce actiua & Paſſiua per duos annos, & ferat probationis Capucium per duos menses. Pro secunda vice duplicetur pœna, & pro tertia vice incarceretur per quindecim dies, & priuetur voto per sex annos, vel ferat probationis Capucium per sex menses. Excipiuntur Guardiani, quibus virtute prætentis statuti, conceditur ut possint recurrere ad amicos Spirituales, pro Necessitatibus Fratrum suorum, secundum Regulam & Declaratio-  
nes Apostolicas. Refor. 1634.

3. Quilibet Conuentus habeat Procuratorem Nicol. S. 4  
vel Syndicum Apostolicum vel ad summum vnu Martin 4  
alium substitutum, & tales & non alii nominentur & 5 Eugen.  
à Patre Generali vel Prouinciali, vt habeant cum sibi eleemosynæ pecuniaræ assignatae pro necessitatibus presentibus, vel imminentibus; casu quo ille qui dedit, nolle illam seruare. Et qui aliter per Vallis 1593.

per mittet illam eleemosynā deponi , si est Guardianus priuetur Officio , & si est Subditus voce actua & Passiuā per tres annos , vel recognoscat culpam vt Nouitius , per tres menses singulis diebus .

Nb.

Rafor. c. 4.

4. Declaratur autem quod possimus uti Syndico in duobus tantum casibus , quorum primus est , ut possit recipere nomine Sedis Apostolicæ , omnia mobilia , & immobilia oblata , donata , vel relictæ Fratribus in testamento . Secundus Casus est ut possit nomine dictæ Sedis Apostolicæ vendere , alienare , vel commutare res , quibus non possunt Fratres licite uti , vel quæ sunt inutiles , & pretium conuertere pro necessitatibus Fratrum : quæ sunt illæ quæ excludunt damnum , non autem spectant solam commoditatem , quando nimur si dictis necessitatibus non prouideretur , Communitas aut particularis persona damnum patretur , vel Officia non possent manere sine aliquo detimento .

ibidem.

5. Pro talibus igitur necessitatibus est solum licitus recursus ad amicos Spirituales : sed tales necessitates debent esse veræ & non fictæ , Fratrum & non aliorum , & quod res non possint inueniri per mendicationem in propria specie , quodque non adsint illo tempore aliæ eleemosynæ , & ultimò ut sint necessitates præsentes vel imminentes siue proximæ siue remotæ , v g querere lanam uno anno antequam conficiatur pannus , vel præparare materiam pro ædificio &c.

6. Recursus ad amicos Spirituales tunc secundum <sup>videlicet</sup> Regulam illicitus declaratur esse , quando queruntur pecuniae ad finem comparandi aliquam rem : sed non quando explicatur necessitas , & queritur res in propria specie .

7. Qui

7. Quicunque deponi consenserit, Eleemosynas indifferentes, licet oblatas pro Missis, Concionibus, laboriis &c. priuetur Officio si est superior ibidem. Refor. 1639.  
 & si est subditus voce actiua & passiua per tres annos, nec non ferat probationis Caputium per tres menses: cum hoc sit expresse contra Regulam.

8. Quā pēnā plectentur etiam illi, qui de eleemosynis oblatis pro Celebratione Missarum, vel aliter procurabunt, vel permittent, vt ematur pitantiā pro Fratribus sanis; nisi intentio illius qui dedit eleemosynam, esset talis.

9. Præcipitur per Sanctam Obedientiam, & sub pēna proprietarii omnibus nostris concionatoribus, quatenus nec per se nec per alios ingerant se in eleemosynas pecuniarias pro concionibus oblatas, nec in illas aliquomodo se intromitterant: Sed si aliqua communitas vel aliquis particularis vellet dare aliquam eleemosynam, significet suo Patri Ministro, qui disponet de illa eleemosyna, secundum necessitates permissas in Regula, pro Conuentibus vicinioribus, vel ubi maior fuerit necessitas: si verò aliter fuerit expensa, v. g. pro induendis Fratribus, pro infirmis, pro emendis libris &c. teneatur de hoc ipso Minister rationem reddere in Capitulo vel Congregatione, Diffinitorio sub pēna priuationis Officij.

10. Declaratur proprietarius quicunque procurat res ad commutandū illas, propria autoritate, in alias licet necessarias; nam hoc esset cōtra Regulam nisi hæc commutatio notificetur danti, & tunc debet fieri mediante Syndico.

11. Prohibetur sub pēna priuationis vocis actiua & passiua per tres annos, vel ferendi probationis Caputium per dies quindecim, mendicare superflua, licet necessaria pro victu & vestitu

*ibidem.**Ibidem**ibidem.**Ibidem*

## CONSTIT. CAPVT. IV.

34

Fratrum; nisi fiat hoc ad subueniendum & succurrendum Conuentibus alijs indigentibus; vel mendicare quæ non conueniunt statui nostro, sicut aurum & argentum & similia; licet hoc fieret sub praetextu Spiritus & deuotionis. Et superfluum dicitur illud, quo amoto residuum sufficit.

Clem. Eximi.

12. Iudicium circa veras necessitates permittas Fratribus Minoribus ( quæ non consistunt in indubibili, sed in moderato vsu, pro conseruatione vitæ & executione Officiorum ) reseruatur absolute superiori; ideo subditus qui non acquiescat tali iudicio, tanquam turbator pacis puniatur a Patre Ministro.

Refor. c. 4

13. Nemo præsumat sine licentia Prouincialis quærere denarios, vel aliquid aliud, pro Secularibus, licet sub specie pietatis, vel consanguinitatis: Transgressores priuentur voto, & alijs pænis puniantur a Patre Prouinciali.

14. Non permittantur Offertæ pecunias pro Congr. Rom. Missis Nouellis, in Concionibus, & aliis soñalitatisbus: multò minus in nostris Ecclesiis permittantur Cippi, altariola; scamnia, vel capsulæ predictis eleemosynis recipiendis, licet specialiter ad Confraternitates, & non ad Fratres. Contravenientes, incarcerentur, & perpetuo priuentur actibus legitimis.

n.

Refor. c. 4. 15. Non habeantur in nostris Conuentibus equi, boues, aut muli, sed propter longiorem distantiam questæ, conceditur aliquis asellus.

## C A P V T . V.

Fratres laborent de laborio. Ge

Vallis. 593.

Salman. c. 5

I. AD fugiendum otium animæ inimicum & tentinam omnium vitiorū, præcipitur vt

ut nullus Fratrum sit notabiliter otiosus: quique monitus non emendauerit se, priuetur voce actiuâ & passiuâ per duos annos, vel aliter puniatur iuxta negligentiam:

2. Declaramus Laicos esse transgressores huius præcepti, quando diligenter non laborauerint in horto, vel quætuando vel circa infirmos, vel alijs Officia manualia Conuentus, quæ per obedientiam erunt ipsis iniuncta: cum ad hunc finem fuerint recepti ad Religionem; & specialiter de ipsis loquatur hoc loco Regula: quia Clerici, Sacerdotes, Confessarii Concionatores, exercentur in oratione, & Officio Diuino, in administratione Sacramentorum, in prædicatione Verbi Domini: quæ exercitia sunt utiliora manualibus. Qui contra venerit, vel non fecerit, vel non libenti animo hæc exercitia fuerit executus, faciat disciplinam per spacium vnius Miserere, & grauius puniatur ad arbitrium Superioris.

3. Sacerdotes qui non fuerint destinati pro studio, concione, vel Confessionibus audiendis, teneantur subire aliquam occupationem utilem Conuentus; sicuti in Sacristia, canapa, horto, & similibus. Quod si sciuerint aliquam artem statui nostro conuenientem, illam debebunt exercere, quando ipsis mandabitur a superioribus, qui grauiter puniant transgressores: Et curent ne Missas & Orationes negligant propter dicta exercitia, iuxta præceptum Regulæ, ita quod excluso otio animæ inimico, Sanctæ Orationis Spiritum non extinguant.

4. Nullus Fratrum faciat opera manualia ad donandum aliquid sæcularibus: Sicuti sportulas Congr. Rom. 1603.  
pileos, flores ex serico, lagenulas, Chordas, Coronas, ornamenti pro Agnus Dei, Cruces, Reli-

Cap. Exiis.

Refor. c. 5.

ibidem  
Congr. Rom.  
1603.

quiaria, & similia, sine licentia Superioris, sub pena disciplinae pro prima vice, pro secunda ieiunii in pane & aqua, & si ulterius excesserint duplicantur illis dicta penae.

5. Quod si insuper procuraret emi, vel mendicare materiam pro dictis laboribus, puniatur tanquam proprietarius.

*Refor. c. 5.*

6. Sacerdotes teneantur celebrare Missas, secundum voluntatem Superioris; alias erunt proprietarij suarum voluntatis.

*ibidem.*  
*Salman c. 5.*  
*Vallis. 1593.*

7. Prohibentur deponidenarij vel pecunia pro Missis, vel aliis laboribus; exceptis illis Casibus, in quibus possumus recurrere ad amicos Spirituales; & statim illa pecunia expendatur per Procuratorem. Transgressores istius **constitutionis**, declarantur proprietarij.

*Refor. c. 5.*

8. Comestibilia oblata Fratribus, reddantur Officialibus Conuentus, ut illi distribuant in Communitate: quod si non fuerint comestibilia, sed alia quorum possumus habere usum, reddantur Superiori.

*Urbanus 8.*  
*Militantis.*

9. Non excant ad Processiones mortuorum nisi sepultura fiat in nostris Ecclesijs, sicut ordinatum est a Santissimo Domino Nostro URBANO VIII. in sua Constitutione: nec litigent cum Reuerendis Presbyteris secularibus propter funeralia, sed utatur verbis humilibus & modestis. Quod si fuerit necesse pro manutententia Ordinis recurrere ad Epilico pos fiat cum religiosa modestia.

*Salm. c. 5.*

10. Fugiant Fratres negotia secularia, & illa specialiter, unde solet oriri aliquod interesse partium: sicuti sunt, esse arbitrum, tractare affinitates. Et qui se ingesserit in illa sine licentia Ministri, priuetur actibus legitimis.

*Vallis. 1593.*  
*Salm. c. 5.*

11. Prohibetur Fratribus exercitium medicinæ, vel

vel Chirurgiæ, sicuti est tangere pulsum, secare venam, curare vulnera, & similia spectantia ad Medicum, vel Chirurgum; sub poena priuationis aedium legitimorum per biennium, & etiam carceris ad arbitrium Prouincialis.

12. Qui abscederit, vel abscedendi permiserit arbores fructiferas, vel alias, quæ sunt ornamento in horto, vel silua, sine licentia Prouincialis in scriptis; priuetur per biennium voce actiua & Pascha, aut seuerius puniatur ad arbitrium Patris Ministri.

13. Præcipitur Prouincialibus, ut in suis Prouincijs erigant & instituant studia Logicæ, Philosofiae & Theologie & etiam Grammaticæ ( si fuerit necesse.) Ad quæ destinabunt omnes illos iuuenes quos cognoscent esse idoneos, exhibendo ipsis omnem operam, & prouisionem tam librorū quam aliarum rerum, quæ pro studiosis necessariæ sunt.

14. Ideò non mittantur studiosi, præsertim Clerici ad studia extra Prouincias; sed si desideretur Lector ex postuletur à Patre Generali ex alijs Prouincijs.

15. Studiosi non exhibunt extra Conuentum, nisi semel intra quindecim dies, pro recreatione. Guardianus qui hoc non obseruauerit, puniatur à Patre Prouinciali.

16. Seriò incumbant Guardiani, & Lectores, vt cum studio iungant deuotionem & exemplaritatem morum. Vnde si aliquis ipsorum esset insolens aut dissolutus; Guardianus illum exemplariter mortificet. Quod si correctus non emendabitur, priuetur studio sine ipse redeundi ad illud.

17. Nullus habeat titulum Prædicatoris, si non fuerit Sacerdos, & studuerit per tres integros annos Theologie. Nec titulus Lectoris habeat, nisi per qua-

ibidem

ibidem  
Neap. c. 50.

Vallif. I. 4.

ibidem.

ibidem.  
Neap. c. 5.

ibidem

quatuor annos studuerit, & promeruerit talē gradum, propter bonitatem vitæ. Nec nominetur Lector, aut Concionator in Capitulis aut Congregationibus, nisi prius ostendat testimonium authenticum à suis Lectoribus, quod studuerit, subscriptum à Patre Ministro, & Guardiano, & Discretis & quod fuerit promeritus propter vitæ bonitatem. Quod etiam constare debet ex probatio[n]e facta in præsentia Lectorum & examinatorum, quod scilicet digni sunt ut nominentur tales.

*Vallis. 1593.* 18. Nullus admittatur pro Lectore Theologæ nisi prius integrum Cursum Logicæ, & Philosophiæ legerit.

*Ibidem* 19. Si aliquis recusabit pertinaciter legere Grammaticam, priuetur voce actiuâ & passiuâ per tres annos.

*Salm. c. 5.* 20. Nullus audeat exercere artem Chymicam, seu Alchimiæ, sub poena carceris ad arbitrium Superioris.

*Ibidem* 21. Nemo præsumat docere pueros, vel alios sacerdotes aliquam scientiam, intra & extra Conuentum, sub poena priuationis actuum legitimum per triennium,

## C A P U T VI.

*Fratres nihil sibi approprient Sc.*

*Vallis 1593.* 1. Propter zelum Paupertatis adeo dilectæ à CHRISTO & à Patre Sancto FRANCISCO præcipimus omnibus Fratribus, ut sibi non approprient, nec Conuentum, nec Cellam, nec aliam rem. Et hanc appropriationem intelligimus, quando Frater iussus ire ad alium Conuentum, vel Cellam, vel aliud simile facere, non obedit; & peius, si ha-

si habeat recursum ad fauores, ut manuteneatur  
in possessione, & quando rebus communibus vti-  
tur, ac si essent suæ, nec permittit vt alij vtantur;  
quando non solù possessionē, dominiū, vsum fru-  
ctū habet, sed etiā quando exigit cōputum à Syn-  
dico, vel amico Spirituali de eleemosynis expen-  
sis ab illis vel comparet in iudicio exigendo lega-  
ta, aut alios similes actus proprietatis facit; nisi  
hoc faceret, vt illos moneret, quatenus essent fide-  
litatis memores. In his casibus p̄cipimus illum  
expelli confusibiliter ab illo loco, & faciat discipli-  
nam pro prima vice, pro secunda iejunet in pa-  
ne & aqua, & pro tertia priuetur voto per tres an-  
nos. Quod si fuerit notabile quid absconditum  
coram Prælato, declaretur Proprietarius; & si mori-  
riatur in hoc peccato, priuetur sepultura Eccle-  
siastica.

2. Nullus Fratrum quando mutatur de uno  
Conuentu ad alium, secum aliquid ferat, vel ac-  
cipiat sine licentia Prouincialis; præter illud quod  
concedit Regula, & sua scripta, si erit Prædicator  
Confessarius, Lector: Neque detur hæc licentia,  
nisi in casu, quo in illo Conuentu talia non pos-  
sent faciliter haberi. Et qui contra fecerit, faci-  
et disciplinam, maceretur in pane & aqua, & sit  
obligatus restituere res ad Conuentum, ex quo  
illas abstulit.

3. Quicunque res Conuentus apud Sæculares  
deposituerit, vel oppignorauerit, vel custodiendas Refor. cap. 5  
tradiderit, vel sacculos sæcularibus in custodiam  
dederit, sine licentia Ministri, & discretorum lo-  
calium, puniatur tanquam Proprietarius.

4. In nostris hortis non seminentur legumi-  
na, vel similia, vt seruentur per totum annum, nec  
plan-

C. Monach.  
capit. super  
quadam, c. ad  
Monaster de  
sui Monach.

ibidem.

Rom. 1625.

plantentur vites ad exprimendum vinum, sub pœna priuationis Officij Superioribus, & subditis sub pœna recognoscendi culpam tanquam Nouitius per vnum mensem, & faciendi disciplinam singulis feriis sextis in dicto mense.

*Ibodem*

5 Vendere vel procurare ut vendantur quocunque modo res, quæ nascuntur in hortis nostris est proprietas: sicuti etiam esset, vendere res procuratas pro vsu Fratrum, nisi fortasse haberetur licentia ab ipso dante, & hoc fieret mediante Syndico Apostolico; ac propterea debent tales puniri tanquam Proprietarij.

6. Vbi experientia probatum est, quod Fratres non possunt viuere ex quotidiana mendicazione panis & vini, & hoc post diligentissimam inquisitionem iudicauerit Capitulum Prouinciale, conceditur ut suo tempore possit colligi frumentum & vinum, sicut fuerit necesse pro familia. Alter prohibetur sub pœna priuationis Officiorum Superioribus.

*Nicol. 3.  
Clemens 5.*

7. Prohibentur habere Claves ad obſerandas Cellas, exceptis Superioribus & Officialibus Conuentus. Lectoribus autem & Prædicatoribus conceditur pro seruandis scriptis aliqua ſeruula.

8. Non acceptentur, nec exigantur legata perpetua. Qui autem procuraret vel consilium daret directè vel in directè pro talibus legatis, fit ipso facto excommunicatus, & puniatur tanquam Proprietarius. Quod si hæredes iponte sua vellent soluere dicta legata, & rogarent Fratres ut celebrent Missas & Officia, pro animabus defunctorū, Fratres pro istis operibus Christianis, non iure legatorum, sed tanquam impositis ab ijs qui petunt, & dummodo habeant veram necessitatem possunt recipere aliquid, non virtute legati, ſiuē perpetui

*Ibdem*

tui sive ad tempus, sed per modum puræ eleemosynæ: Quemadmodum & in simili Casu haberent recursum ad alios amicos Spirituales.

9. Non acceptentur Capellaniæ, vel officiatæ extra Conuentum, sub poena priuationis. Nec Congr. Rone.mittantur Sacerdotes extra Conuentum pro celebrazione Missarum, nisi propter aliquod Fætum communitatis, & simile.

10. Quilibet Superior localis sub poena priuationis sui officij teneatur prouidere suis subditis de strophiolis, fæmoralibus, sandalijs, Papyro, & alijs rebus necessarijs. Et è contra sub eadem poena teneantur semel visitare singulis mensibus omnes cellas subditorum simul cum duobus antiquioribus Discretis Conuentus; & si inuenient curiosa, superflua, vana & non concessa per Regulâ, & Superiore tollant talia, & ponant in cōmunitate, non permittentes habere, nisi quod concedit nostra altissima paupertas. Quod si in hoc inuenient repugnantiam in subditis, exemplariter illos puniant

11. Ministri procurent omnino, ut Communitates bene prouideantur de pannis, libris, & similibus, & illis præsint officiales, qui illa munda custodian, & accommodata pro satisfactione Fratrum, aliter puniantur à Superioribus.

12. Ad hunc finem in omni Conuento erigatur Bibliotheca, in qua habeantur omnes libri & publici, & priuati, & obseretur clave; fiat Inuentariū librorum, & committatur alicui, qui illorum habeat curam, eosque concedat quando fuerit necesse, & procuret ab ijs quibus libros concedit, habere schedulam receptionis illorum, quam restituet, quando libros pariter ipsi restituent. Qui autem alienauerit aliquem dictorum librorum, ipso facto incurrat excommunicationem reseruatam Patri Ministro, qui sub poena suspensionis ab officio,

Salm. o. 6.

Rom. Congr.

1615.

Rom. 1625.

Ibidem

Valis. 1593.

Sixtus 5.

Clemens 8.

**CONSTIT. CARNEVI.**

41  
debet visitare illas Bibliothecas, & saltem toto  
suo trienno semel Inuentarium confrontare.

*Salm. c. 6.* 13. Ne error committatur circa fabricas, statui-  
*Neap. c. 31.* tur ut in omni Capitulo constituantur duo inspe-  
ctores fabricæ, quorum unus sit Sacerdos: qui cum  
Patre Ministro determinent illud quod fuerit ne-  
cessere tam circa fabricas antiquas, quam nouas. Et  
Ministri qui aliter fecerint, priuentur officio suo.  
*ibidem.*

14. Non erigantur Conuentus noui, nisi fuerit  
a peritis facta delineatio, & subscripta a Diffinito-  
rio, sine cuius consensu non possit mutari, sub pa-  
na priuationis Officij Superioribus, & priuationis  
voti per triennium subditis, vel ferendi signa pro-  
bationis per tres menses. neque Turres ædificen-  
tur pro campanis, nisi adsit periculum a prædoni-  
bus & pyratis.

*Rom. 1612.*

15. Superiores locales qui aliquid innouauerint  
circa fabricas, siue nouas, siue antiquas destruen-  
do, restaurando, pingendo, quod excedat preti-  
um sex scutorum, seu viginti florenorum, pro singu-  
lis annis, sine licentia Ministri, & inspectorum  
fabricæ, priuetur Officio: non tamen prohibetur,  
imò præcipitur ipsis, ut restaurent tecta claustræ  
aliaque ex muro vel ligno, prout fuerit necesse.

16. Non acceptentur Conuentus, in quo non  
*Concil. Trid.* possint sustentari quotidiana mendicatione saltem  
*Decret. de A-* duodecim Fratres, nec non habeatur licentia Ge-  
*post. & electis* neralis; & consensus Capituli vel Patrum Reforma-  
tionis. Transgressores priuentur legitimis actibus  
per sex annos.

*Refor. c. 6.* 17. Et in talibus Conuentibus non instituantur  
Guardiani, nisi prius in una parte Ecclesiæ possit  
debito honore asseruari Sanctissimum Sacra-  
mentum. In super habeatur Refectorium, & saltem  
Cellæ octo ad habitandū. Institutio aliter facta de-  
claratur nulla, & electores puniantur a Visitatore.

18. In primo Capitulo Prouinciali taxentur numerus Fratrum, qui possunt commode viuere ex mendicatione in uno quoque Conuentu, & de hoc fiat decretum, quod non possit mutari: Et conservetur in Archiuo, & una copia annexatur ad hæc statuta, & cum illis legatur.

Reform. c. 6.  
Trid. Decres.  
de Apost.

19. Et propterea non recipientur Nouitii, vbi Professorum sufficiens est numerus pro Conuentibus Prouinciarum; si Diffinitiorum aliter fecerit, puniatur à Superioribus:

Refor. c. 6.

20. Quam primum instituantur in Capitulo, vel Congregatione (vbi non fuerint institutæ) una & altera infirmaria apta & commoda pro seruitio infirmorum, qui nobis adeo commendantur à nostro Seraphico Patre. Instituantur etiam ibi infirmarij, probati & Charitatiui, iuxta necessitatem, qui seruant insirmis, & prouideant de medicamentis & aliis necessariis abundantter, secundum possibilitatem & conformitatem statui nostrō. Quod si non sufficiant hi Conuentus, taxentur alij pro contributione. Et Visitatores qui inuenient Ministros culpabiles in hoc, exemplariter illos puniant, & cogant Prouincias ut dictas infirmarias instituant & erigant: Interim statim ac infirmabitur aliquis Frater deputetur unus vel alter qui ipsi inseruat, sicuti vellet sibi seruiri. Quod si Guardianus erit defectuosus & non vigilauerit in hoc priuetur Officio.

Vallis. 1593.  
Agu. 1569.  
Tolte. 1633.

21. Non intermittent Guardiani & Vicarii semel aut plures in die visitare infirmos, & inquirere quale seruitium præstetur illis; quod etiam facient omnes alii Fratres, consolantes & seruientes illis iuxta Charitatem Religiosam. Quod multo magis iniungitur Ministris, qui tenentur prouidere ipsis eorum necessitates, & debent inuigilare cir-

Ibidem,  
Salman. c. 6

ca curam infirmorum, inquirendo quomodo ipsi  
inseruiatur, Quoad medicos, medicamina, & alia,  
Quod si non fecerint, puniantur à visitatoribus,  
& à D e o.

22. Provinciales assignent unum Sacerdotem,  
*Rem. 1612.* qui ministret Sacraenta infirmis., vt nullus sine  
ipsi moriatur, & concedant illis facultatem absolu-  
uendi à Casibus & Censuris.

*nb.*  
23. Præcipimus per Sanctam obedientiam in-  
firmariis, vt non permittant comedere in Cella,  
nisi illos qui non possunt comedere in Refectorio  
infirmariæ, nec dent sanis res mendicatas, vel pro-  
curatas aut emptas pro infirmis, nisi in parua quâ-  
titate, vt poculum vini & simile Quod si puniti  
non se emendent, ciiciantur ex infirmaria,

24 Sub iisdem pænis præcipitur Apothecarijs,  
*Ibidem.* vt nulli Fratrum dent aliquid ex Apotheca , nisi  
fuerit necesse, & multominus sacerdotalibus. Quod  
si denegando similia minoris momenti , offendere-  
retur vel Scandalizaretur insignis aliquis Benefa-  
ctor, tunc poterit ipsi dari ex gratitudine, cum li-  
centia tamen Guardiani: quod conceditur etiam  
ex Charitate alicui pauperi, & miserabili.

25. Ad recipiendum Religioso modo hospites,  
vel nostros, vel alterius Religionis, præcipitur, vt  
deputetur aliquis Sacerdos modestus , & deuo-  
*Palliol.* 1593.  
*Tolet. 1633.* tus, qui adueniente aliquo Fratre pedestre & nu-  
dis pedibus, quamprimum audierit signum cam-  
panæ datum à lanitore , statim occurrat cum alijs  
Fratribus , & assistat pro lotione pedum cantan-  
tando interim hymnos, & Psalms, secundū con-  
suetudinem Reformationis. Guardiani & alii ad  
hoc deputati, qui fuerint in hoc negligentes, &  
hospitibus debitam charitatem non exhibuerint,  
seuerè puniantur à Superioribus maioribus.

*Refor. c. 6.*

26. In-

26. Inter nos & Patres Obseruantes seruetur antiqua charitas & respectus, sicut decet filios nostri Patris Seraphici. Congr. Rom. 1615.

## CAPUT VII.

*Si qui Fratrum instigaute inimico Es.*

1. Pro obseruantia huius præcepti Regulæ Trid: sess. 14.  
Nostræ ex Decretis Pontificum & consuetudine antiquissima Religionis, reseruantur infra scripti casus, à quibus non potest absoluere nisi Generales, Provinciales, & illi quibus facultas fuerit concessa à prædictis.

1. Veneficia, Sortilegia & Incantationes.
2. Inobedientia contumax videlicet quando post trinam monitionem per diem naturalem subditus perseverat in pertinaci inobedientia.
3. Percussio grauis Religiosi, aut Clerici secularis.
4. Manifestatio alicuius rei, ex qua infamatur Religio, vel aliquis particularis Frater.
5. Peccatum Carnis voluntariè consumatum.
6. Proprietas peccatum mortale inducens.
7. Furtum rei notabilis vel iteratum.
8. Falsa accusatio cum infamiâ accusati, vel porrectio falsi memorialis in aliquo Tribunali.
9. Falsum testimonium in iudicio.
10. Falsificatio manus vel Sigilli Superiorum aut alicuius Notabilis Personæ, vel Conuentus.
11. Malitiosum impedimentum. Retardatio & apertio literarum Superiorum ad Subditos, & subditorum ad Superiorés.
12. Componere libellos famosos, consulere vel in-

c. 1. &amp; Can.

Vallis. 1593.

Salm. c. 7.

inducere ut flant, quando eo peruenitur, ut expōnāntur, projeiantur, & quocumque modo publicentur.

**13.** Procurare, iuuare, consulere abortum animalium, licet non sit secutus effectus.

**Parisien.**  
1579,  
Clem. 8. de  
Casuum re-  
seruat.

**2.** Teneatur Minister vel in Capitulo & Congregatione, vel Visitatione, vel in alijs occasionibus constituere vnum vel plures P̄cenitentiarios, iuxta qualitatem Conuentus, præter Superiores Locales & Vicarios, & habeant facultatem absoluendi, ab omnibus casib⁹, quam diu morantur in illo Conuentu: à quo si debeat exire, vel recedere, virtute huius Statuti succedat antiquior Confessarius, usque dum Minister prouideat.

**Rom. 1642.** **3.** Quantum ad punitionem supradictorū Casuum, vel peccatorum, quando fuerint deducta ad forum contentiōrum remittimus nos ad Statuta Generalia Ordinis quae in uiolabiliter obseruentur in hac parte, & in omni alio casu, non expresso in istis statutis, & non repugnante nostræ Reformatae obseruantiae.

**Vallis. 1593.** **4.** Si aliquis committeret in Religione delictū pro quo si in sēculo fuisset, damnaretur ad mortē, mittatur ad triremes, vel perpetuo incaceretur.

**Salm. c. 7.** **5.** Infamis declaratur inhabilis ad omnia officia & dignitates.

*ibidem,*

**6.** Declaramus non incurrere excommunicatiōnem, Carcerem, Suspensionem, Priuationem, & similia fulminata in istis statutis, nisi fuerit scien-tia & deliberatio.

*ibidem*

**7.** Neque quando dicitur (ipso facto) incurra-tur, nisi post declarationem factam à Iudice, qui non faciet talēm declarationem, nisi fuerit euiden-tia delicti, & ordo iustitiæ: sed facta declaratione statim remanebit ligatus ad poenam.

18. Poenæ impositæ à Majoribus non possunt immutari ab inferioribus , sine ipsorum licentia , sub ijsdem poenæ. Neque Superiores maiores, remittant poenas ab inferioribus impositas , nisi in Casu maioris & publicæ utilitatis, vel propter alias urgentes causas.

9. Ministri non differant punitiones usque ad aduentum Visitatoris, nisi ad sit causa iudicanda à Patre, Generali , sub poena priuationis officiorum suorum.

10. Quicunq; de eodem delicto ter coniunctus , & punitus non se emendauerit perpetuo incarceretur, si causa erit grauissima ; vel expellatur ab Ordine, iuxta Decretum de ejectis , & Apostatis , vel iudicio Diffinitorij mittatur ad triremes.

11. Si aliquis commiserit aliquod delictum , dum modo non sit cum scandalo publico, & voluntariè illud confitebitur, coram suo Prælato, prætentib; testibus , antequam ab illis præueniatur per accusationem, vel denuntiationem , concedimus ut possint Prouinciales ex plenitudine potestatis , & gratiæ, cum consilio eorundem testium condonare poenas, quo ad forum externum, & imponere aliam poenitentiam minus confusibilem & salutarem : sed hoc intelligitur pro prima vice tantu; , & cum protestatione in scriptis , quod si idem commiserit delictum , punietur pro primo & altero , quando congruenter probabitur.

12. Ex concessione Apostolica possunt Generales & Prouinciales, ipsorumq; Vicarij & Cuijodes, in suis Prouinciis & Cuijodijs , absoluere suos subditos , & alias vndeconq; ad se recurrentes, ab omnibus Casibus , & peccatis commissis , ante & post ingressum Religionis, ab omnibus Censuris, Sententijs, Excommunicationis , Suspensionis & Inter-

Trid. siff. 25  
de reg. c. 28.

Vallis. 1593

ibidem.

Salm. c. 7.

Clemens 4. in  
Mari magno  
apud Comp.  
Privil. titul.  
Absol. quod  
Frates §. 7.  
Sixtus 4.  
Jul. 7.

terdicti fulminatis, in Corpore Iuris Canonici, vel generaliter promulgatis à Iudice, licet fuerint reseruatae Sedi Apostolicæ: exceptis Hæreticis relapsis, Schismaticis, falsificatoribus literarum Apostolicarum, & illis qui ferunt res prohibitas ad partes infidelium. Possunt etiam dispensare in omnibus irregularitatibus contractis ex supra dictis delictis, vel propter celebrationem Diuinorum Officiorum in locis interdictis, vel propter receptionem Ordinum in dictis Censuris, excepta bigamia, & homicidio voluntario.

Et quia presentia Sancta quoad pœnas pro delictis infligendis remittunt ad Sancta Generalia Ordinis: idèò ut illarum servies omnibus pateat, placuit eas h̄c inserere.

## Pœnarum Genera.

Pœna quibus Seraphicus Ordo Noster hucusq;  
usus est, sunt sequentes.

Vallis. e. 7.

ibidem.

ibidem.

ibidem.

1. Priuatio vocis actiue, & Passiuæ, seu iuriſuffragiorum, quæ inhabilitat tam ad ferenda, quam ad coniequenda suffragia, in quaunque electione.

2. Priuatio actuum legitimorum, est inhabilitatio ad omnia Ordinis officia, id est, Ministeriatū, Diffinitoriatum, Custodiatum, Guardianatum & omnia Officia, quæ sunt cum dignitate & superioritate coniuncta.

3. Priuatio officiorum Ordinis inhabilem reddit, non solum ad supradicta, sed etiam ad Confessionem, Prædicationem, Lecturam, Paternitatem & munus Visitatoris.

4. Gáceris pœna, est alicuius reclusio in obserato loco sine Chorda, & Caputio. Includit priuationem actuum legitimorum ipso facto.

5.

5. Eiectio seu expulsio ab Ordine, quæ discoloris & incorrigibili bus imponitur.

ibidem.

6. Pœna talionis, est qua accusans, & non probans delictum obiectum, puniri debet, ac si ipse tale delictum commisisset.

ibidem.

7. Probationis Caputum, seu Caparonis delatio, more Nouitiorum.

ibidem.

8. Excommunicationis vel Suspensionis sententia.

ibidem.

9. Infamia pœna. 10. Exilium.

*Applicatio singularum panarum singulis delictis.*

1. DE Summo Pontifice Maximo Christi in terris Vicario, deque illius dignitate, ac Decretis, ac Constitutionibus, qui impudenter, vel minus, quam decet reuerenter obloqui ausus fuerit, trimelitis carceris pœnâ, vel grauiori etiam puniendus est, iuxta delicti mensuram.

Vallis. c. 2.

2. Impudenter obloquentes de Eminentissimis Protectore, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, deque Reuerendissimis Ecclesiarum Prælatis, cum scandalo, carceribus sunt mancipandi, vel grauius etiam pro obloctionis excessu puniendi, Superiorum arbitratu.

Vallis. c. 1.

3. Qui Generali vel Commissario ab eo misso ad visitandam Provinciam rebellauerit, excommunicationis, Sanctissimo reseruatæ pœnam statim incurrit, ac priuationem suffragiorum, Officiorum Ordinis, & perpetuam inhabilitatem ad illa.

Vallis. c. 4.

4. Qui Provinciali, Guardiano, aut vicario rebellauerit; omni Suffragiorum iure triennio carcere debet?

ibidem.

ibidem.

5. Contumax (id est qui trina monitione eodem die, congruis interuallis praemissa, in obedientia perseverat: vel qui ita pertinaciter obedire recusat, ut de discretorum consilio, carceribus mancipari mereretur) est Carcerationis pena plectendus, & consequenter actibus legitimis priuandus.

ibidem.

6. Qui in Praelatum, improperii, & conuitii verba protulerit, genuflexus in publico, debet in pane & aqua ieunare, ac omni suffragiorum iure biennio carere. Prouocans autem grauiter aliquem factis, aut verbis, pro prima vice probationis Capucium deferre, pro secunda bimestri carceri mancipari, ac actiuam & Passiuam voce decennio priuari debet.

ibidem.

7. Qui Frater alteri, vel in ordine vel extra minabitur in Persona, per mensem probationis Capitalium deferat. Si manum leuauerit, vel aliquid acceperit ut percutiat, per tres menses. Si leuiter percuaserit, per annum. Si grauiter percuaserit, vel quodlibet instrumentum ad grauiter percutendum arripuerit, semestri carceri mancipandus venit: quam pena puniendus erit, qui arma offensiua, vel portauerit, vel in cella aut alibi retinuerit.

Vallis fol. c. 8. 8. Qui gladio, baculo, vel pugillo, Fratrem aut Secularem percuaserit, in carceris viius anni penam incidit, omni suffragiorum iure, & actibus legitimis perpetuo priuari, ac per mensem, ter in qualibet Hebdomada coram Fratribus capitulariter congregatis, genuflexus comedere, ipsi sicut instrumentis, quibus ferire, vel percutere, ausus est ei de collo pendentibus, debet.

ibidem.

9. Quod si mors secuta fuerit, vel atrox mutilatio, ad triremes omnino condemnandus est.

ibidem

10. Qui aliquem enormiter vulnerauerit, vel ci ve-

ei venenum dederit, per se vel per alium, hæc, vel  
familia machinæs, eisdem pænis subiacere tenetur.

11. Prælatum localem gladio occidens, ad tri-  
remes perpetuò condemnari; vulnerans non se-  
cuta morte, ad eosdem mitti superiorum arbitrio;  
debet.

ibidem.

12. Prouincialem vel leuiter percutiens, ad tri-  
remes, Generalis arbitratu, mitti, si in gladio  
molitus fuerit, siue secuta, sine non secuta morte,  
ad eosdem triremes perpetuo damnari debet.

ibidem.

13. Generalem quoquo modo, vel leuissimè  
percutere ausus, ad triremes perpetuo, & omni-  
no damnandus est.

ibidem.

14. Falsificantes per se, vel per alium literas,  
aut Sigilla Prælatorum, Principum, Generalium,  
Prouincialium, aut notabilium personarum, sunt  
ipso facto excommunicati, carceri mancipandi  
Generalis arbitrio, atque ad omnia Officia, & di-  
gnitates Ordinis perpetuo inhabilitandi.

ibidem.

15. Generalium, Prouincialium, aut Seculari-  
um Principum, & notabilium personarum litte-  
ras, siue ab ipsis, siue ad ipsos missas, intercipien-  
tes, aperientes, impedientes, aut malitiosè retar-  
dantes, ipso facto actibus legitimis destituendi  
sunt, & huius pænæ incapaces probationis Capu-  
tium deferant, Generalium, vel Prouincialium  
arbitratu, quibus respectuè pænarum condona-  
tio reseruatur.

Vallis. c. 7.

16. Reuelans extra ordinem Religionis secre-  
ta, quibus fama, & candor ipsius Ordinis macu-  
latur, incidit in excommunicationem maiorem,  
Generali vel Prouinciali reseruatam, & perpetuò  
est priuatus actibus legitimis.

Vallis. c. 46.  
& 70.

17. Qui libellos famulos quomodolibet edide-  
rit, vel publicauerit, ipso facto excommunicatio-

ibidem.

nis sententiam incurrit, à quâ, si in Generalis, vel Prouincialis infamiam cedunt, nisi à Generali abiolui non potest, vel a Prouinciali; si in aliorū infamiam vergant, debita satisfactione præmissa, & conuictus semestri carcere maceretur, vel amplius Superiorum arbitratu.

*ibidem.*

18. Libros imprimi faciens, vel publicans, sine licentia Ordinarij, & Generalis scripta facultate, est eo ipso priuatus actibus legitimis.

*Vall. sol. c. 3.* 19. Qui statutis ieuniorum diebus, absque necessitate Superiori probata, non ieunauerit, præceptum non solum in qualitate, sed etiam in quantitate ciborum transgrediendo, suffragiorum iure priuandus est, Prouincialis arbitratu, à quo etiam grauius arcere debet, prout violationis ratio sualerit.

*ibidem.*

20. Qui Officio Diuino non interfuerit, a' Guar diano secundum consuetudinem Religionis puniri debet: Qui autem illud aliquoties non recitasse conuictus fuerit, omni suffragiorum iure triennio carere debet, & grauius etiam puniri Prouincialis arbitratu.

*Ibidē Trid. sess. 4. in decret. de editiōne & usu sc̄r̄orū libr.*

21. Qui Sacrae Scripturæ sensum, vel verba in profanos usus detorserit, eisque in familiaribus colloquiis abusus fuerit, voce actiua & passiua triennio priuandus erit, & monstruo carceri mancipandus.

*Vall. sol. c. 5.*

22. Qui sine causa Confessionem Sacramentalē facere, & Sacram Eucharistiam sumere, vel Missam celebrare, iuxta probatam Ordinis consuetudinem, notabiliter neglexerit; in pane & aqua, in publico refectionis loco, ieunare debet, Prouincialis arbitrio, vel etiam grauius pro indeuotionis modo puniri.

*Salm. cap. 8*

23. Notabiliter orationi deficientes, Guardiani Offi-

ni Officio priuandi: Subditi suffragiorum iure  
triennio multandi, ac etiam sunt carcerandi Su-  
periorum arbitratu.

24. Prouincialis, & Guardiani in suis Prouin-  
ciis & Conuentibus notabiliter & sine legitima  
causa non residentes, præter culpæ reatum, &  
pœnas Canonicas, quas incurruunt, officio suspen-  
di, vel etiam priuari debent, superioris iudicio.

25. Prouincialis concedens dimissoriales litte  
ras ordinandis Fratribus non seruatis Sacris Ca-  
nonibus, & Ordinis Sanctionibus suspendendus,  
vel etiam priuandus venit officio, superiorum  
arbitrio.

26. Qui Confessiones sine licentia, ausulta-  
uerit, vel à reueruatis absoluuerit, est ipso facto  
*Vallis. c. 7.*  
excommunicatus, & ad excipiendas confessiones  
perpetuò inhabilis, carcerandus, & grauius puni-  
endus, si in hoc crimine vitiosus repertus fuerit.

27. Confessionis Sacramentalis reuelatio, pu-  
niri debet priuatione perpetua actuum legitimo-  
rum, & facultatis audiendi confessiones, ac carce-  
ratione, vel arctatione, Prouincialis arbitrio.

28. Qui in iudicio quidquam falso scienterque  
deposituerit, vel deponi fecerit, aut verum reuoca-  
uit, vel reuocari procurauit, ipso facto est excom-  
municatus; cuius absolutio Prouinciali est reser-  
uata. Semestri carceri mancipandus, & satisfaciat  
parti, & perpetuo infamis existat.

29. Scienter aliquem infamans, Sacramentali-  
ter ab iudicii non potest, nisi à Prouinciali. Et con-  
victus in iudicio, subire debet pœnam criminis,  
de quo alterum diffamauit, nec nisi priùs restituta  
fama.

30. Furtum commitens, suffragiorum iure bien-  
nio est priuandus. Proprietariorum pœnam luere  
tene-

*ibidem. A. 7.*

*Vallis. c. 6.*

tenetur. Et si furtum fuerit notabile, aut iteratum, vel ex sacro loco, aut saecularium domibus, aut bonis, crescente sceleris turpidine, crescere etiam debet seueritatis districtio, Superiorum arbitrio.

*Vallis. c. 40* 31. Proprietariorum poena est, Carceratio, auctuum legitimorum priuatio, nec non Ecclesiastice sepulturæ, si quis proprietarius moriatur cum poenarum augmen- vbi culpa replicata fuerit.

*Vallis. c. 5* 32. Qui inuenti fuerint notabiliter otiosi, suffragiorum iure priuentur, & grauioribus poenis, etiam corporalibus arcendi sunt, Prouincialium, & Superiorum localium arbitratu, pro negligentiæ modo, & contumaciæ ratione.

*Vallis. c. 7.* 33. Obscena verba coram alijs, vel cum scandalo proferens: si grauiter monitus non se correxerit, in cum animaduertatur pro qualitate delicti etiam cum poena carceris aut grauiori, Superiorum arbitratu, quoisque resipiscat, ut cæteri timorem habeant.

*Vallis. c. 11* 34. Qui conuictus fuerit suspectam domum intrasse, actumue carnalem sollicitasse, mox ab eo loco perpetuo exulare debet, & bimestri carceri mancipari; negans, grauiter arctandus.

*Vallis. c. 8.* 35. Conuictus, vel Confessus in fornicationem lapsum fuisse, pro prima vice, semestri carceri mancipetur, & omnium suffragiorum iure triennio carere debet. Secunda vice carcer duplicandus, & omnibus Ordinis officijs decennio priuandus est. Tertia vice carcer longius protrahi, perpetuo ad officia Ordinis inhabilis existere, vel etiam ad triremes mitti Superiorum arbitratu debet.

*Ibidem* 36. Sacrilegium commitens, vel ad triremes mittendus, vel in perpetuum carcerē detrudēdus.

*Ibidem* 37. Qui de innominabili scelere confessus, vel

con-

conuictus fuerit, nudus, cum solis fæmoralibus, in cætu Fratrum ligatis manibus, ac recitans Psalmū: Miserere mei Deus, grauissimè flagellari, ac leuisculis flammis, hinc inde circumpositis quodammodo comburi, & ad perpetuos carceres irreuocabiliter damnari debet, vbi in pane & aqua tribus saltem in hebdomada diebus ieiunet. Si autem in idem scelus relapsus fuerit, ad triremes perpetuo destinari.

38. Qui in morbum Gallicum ex delicto inciderit, declarandus est perpetuo inhabilis ad omnia officia & suffragia Ordinis, ac etiam ad audiendas Confessiones.

39. Introducentes mulieres intra Claustra ad malum finem, in pœnas à Pio V. sancitas incidere, & carceribus conuenit mancipari, Superioris arbitratu, quas pœnas incurront, qui eaſdem in hospitia Confessariorum Monialium quoquis colore introducunt.

40. Superiores qui Charitatem circa hospites & infirmos neglexerint, officio destituantur, officiales ad id destinati, suffragiorum iure triennio carere debent.

41. Conspirantes aduersus Fratrem aliquem, & maxime superiorem, omnibus Ordinis officijs priuati sunt, Superiorum arbitrio.

42. Ordinis diuisionem tentans, est ipso facto excommunicatus, & carceri est mancipandus, Generalis arbitrio, cui & absolutio reseruatur.

43. Ad fæcularium Aduocatos, Procuratores, Iudices, & Tribunalia quæcumquæ, prætextu*injusti*. Et si mendicatio sibi factæ, siue pro consilio, siue pro fauore re-currens, actibus legitimis priuandus est, & grauius currens, actibus legitimis priuandus est, & grauius puniendus. Appellant ad eadem tribunalia, sunt *Pro Pastorali* excommunicati, & à solo Summo Pontifice absol-

*uendi*

Vallis. c. 11.

Vallis. c. 8.

Ibidem Pius 5. Et si men-dicant.

Grægorius 3 Quoniam no-

uendi, atque perpetuo priuari debent iure suffragiorum omnibus Ordinis officijs, & in perpetuum ad illa inhabilitari.

Vallis. fol. c. 7. 44. Subornatores sunt excommunicatione Papali, ipso facto ligati; actibusq; legitimis priuati.

Ibidem 45. Alchimiæ studentes, vacantes, eam voce, vel scripto docentes, instrumenta, libros, qui ad illam pertinent, retinentes, sunt ipso facto excommunicati, atque omni suffragiorum iure perpetuo priuari, & Carceribus, vel arctatione, Provincia lis arbitrio, macerari debent.

Vallis. fol. c. 2. 46. Promoti per saltum, vel sine litteris dimisorialibus, vel furtive, quique in non suscepatis Ordinibus ministrauerint, iuxta poenas Canonicas puniuntur.

Vallis. fol. c. 11. 47. Ingredientes sine causa legitima, claustrum Monialium, sunt eo ipso excommunicati, alijque Conc. Trid. Seß. 25. c. 5. Canonicis poenis, plectendi, priuandi insuper Officijs, & dignitatibus, & inhabilitandi in perpetuum, vna cum Monialibus consentientibus.

Gregor. 13. vbi gratiae. Vallis. c. 7. 48. Simoniaci, qui dona dederint, aut promiserint per se, vel per alios, ut gradus, dignitates, officia, vel in sui fauorem Sententiam consequantur, Canonicarum poenarum animaduersione feriuntur, atque in Constitutionem de largitione munerum incidisse, declarandi veniunt.

Salman. c. 1. Vallis. c. 7. 49. Recipientes vel ad professionem Nouitiis admittentes, Apostolicis Constitutionibus & Ordinis Statutis non seruatis officio statim priuandi. & omni suffragiorum iure perpetuo destitueri di veniunt.

ibidem Clem. Exiū s. Nos ante de verb signif. in 6. 50. A Nouitiis vel minimum aliquid recipientes, vel eis ad sibi, vel Conuentui aliquid relinquendum suadentes præter penas in Sacro Tridentino Concilio Decretas, Superiores debent priuari officio; alii ut proprietarii puniri.

51. Camisiarum, & lineaorum indumentorum, linteraminum anaclynteriorum visus sine necessitate, vetitus est sub priuatione iuris suffragiorum per triennium, etiam carceris pena per duos menses, & amplius, si monitus se non correxerit.

Sessio 15. c. 1  
de regul. Val  
lisol. c. 2.

52. Qui super habitum regularem, vel (eo demissio) saeculares, aut alias quascunque vestes induerit, ad recitandas comedias, vel alias larvatas representationes, quacumque ex causa, vel occasione, & quocumque in loco, est eo ipso suspensus, & grauius, carcere, priuatione Officii vel suffragiorum iure, à Superioribus puniendus.

ibidem.

53. Qui negotia Principum acceptauerit, egerit, procurauerit, sine licentia Superioris priuari debet Officijs Ordinis. Has penas enumerasse sufficiat alias uidere poterit Index in statutis Generalibus Ordinis, vel ex sacris canonibus, & probatis legibus, ac consuetudinibus, prout suaserit ratio, elicere.

Vallis. c. 5.

## C A P V T VIII.

Uniuersi Fratres unum de Fratribus  
istius Religionis. Sc.

1. **Q**Vià ex bonis electionibus dependet bonum regimen, & manutenentia Ordinis, præcipimus ut Ministri, ultra tres annos non durent in Officio, nisi fuerit necesse prolongare Capitulum, ad aliquem mensem: & in tali casu poterunt regere tanquam Commissarii Prouinciales, licet absoluerint triennium.

Leo 10. Ita  
& vos.  
Clem. 8 Pro  
inimicis.

2. In fine tertii anni teneantur Prouinciales monere Patrem Generalem, vt mittat Commissarium ad visitandum, & celebrandum Capitu

Refor. c. 8.  
Salm. c. 8.  
Vallis 1593.

H lum,

lum, saltem tribus mensibus ante finem triennij. Et talis Commissarius, sit vitâ & prudentiâ probatus, idoneus ad subeundum hoc munus qui fuerit Minister, vel Diffinitor Generalis, vel Prouincialis, vel Lector Theologiæ vel prædicator Generalis.

3. Commissarius antequam incipiat visitare,  
*Salman. c. 8* manifestet suas patentes patri Ministro, vel præ-  
*Vallis 1593.* senti, vel per litteras: postea curet ut publicè le-  
*Rom. 1571.* gantur in uno Conuentu Prouinciæ, & statim mit-  
 tat litteras per omnes Conuentus intimando visi-  
 tationem, & prohibendo ne Fratres excant extra  
 terminos suæ quæstæ.

Refer. c. 84. 4. Non potest habere nisi duos socios, qui  
*ibidem.* eant pedeſter cum eodem Commissario.

5. Visitet omnes Conuentus, & poterit quan-  
 doque ex occasione subdelegare Secretarium pro  
 visitatione alicuius Conuentus.

6. Attendant ut obseruetur paupertas altissi-  
*ibidem.* ma, extirpentur mali mores, & partialitates, ma-  
*Vallis 1593.* nuteneantur Cæmoniæ Reformationis, obser-  
*Trid supra* uentur Sacri Canones, Bullæ Pontificiæ, & hæc  
 Statuta: & hoc exequatur non solum sermonibus  
 & pænis, sed multo magis sua vita exemplari  
 & Zelo.

7. Quāmprimūm venerit ad Conuentum, vi-  
*ibidem* sitet Sanctissimum Sacramentum, Tabernaculum  
 Ecclesiam cum Capellis, altaribus, Confessiona-  
 libus, sepulturis, Reliquiis Oleo Sancto, & Sacri-  
 stiam cum Paramentis, Calicibus, Patenis, Cor-  
 poralibus, Albis, superpelliceis, papillionibus  
 Sanctissimi Sacramenti, Antependiis altarium,  
 Infirmariam, Apothecariam, Bibliothecā, Scho-  
 lam, Officinas cum suis instrumentis, communi-  
 tatem panni, seu vestimentorum, & Cellas Fra-  
 trum;

trum; & obseruet vtrum omnino correspone-  
ant obligationi, ordinationibus & honestati, & de-  
cori, ordinando illud quod fuerit expediens, super-  
fluum demendo.

8. Postea visitabit singulos Fratres, præueni-  
endo illos deuoto, & efficaci sermone, vt moue-  
antur ex zelo, & non ex passione ad dicendam ve-  
ritatem, sine calumniis. Interrogatoria Visitati-  
onis erunt sequentia.

ibidem

1. Si cum pietate Christiana fiat cultus Diui-  
nus, & obseruentur Sacri ritus, & Cæremoniæ Ec-  
clesiaстicæ.

2. Si omnes conueniant ad Diuina Officia die  
noctuque, si frequententur Sacraenta, si cele-  
brentur Missæ.

3. Si obseruetur vita Communis in Refecto-  
rio, si habeatur ibi lectio.

4. Si sint transgressiones circa paupertatem,  
obedientiam, Castitatem

5. Si fiat Quæstuatio pecuniæ illicita.

6. Si sit Frater aliquis Proprietarius,

7. Si datur scandalum Sæcularibus.

8. Si Guardianus diligenter & prudenter se  
gesserit.

9. Si obseruentur Bulle Pontificiæ, & Statu-  
ta Ordinis.

10. Quomodo Prouincialis se gesserit in suo  
Officio, si visitauit suo tempore.

11. Si satisfecit Subditis.

12. Si fuit exemplaris ipse & socii.

13. Si in tota Prouincia sit abusus Regulæ,  
Particularitatis, & inordinationis. &c.

14. Inquiratur de Cōmissario visitatore suo an-  
tecessore immediato, omne illud quod & de Pro-  
vinciali dictum est, vtrum fuerit partialitates

& conturbauerit Prouinciam, & grauauerit aliquem &c.

*Praet. Crim. c. ea quæ de statu Monachorum & Sequentes.*

9. Si ex Visitatione inuenerit aliqua emergentia, quæ mereantur emendationem hoc faciet et tanquam Pater ( si fuerit satis ) si non, tanquam iudex formando processus sine quibus non poterit procedere ad pœnas per viam sententiæ, neque sine voto Diffinitorii Quod si in casu quo dictū Diffinitorium, vel esset suspensum, vel procederetur contra ipsum, vtatur aliis totidem grauibus Patribus, & peritis illius Prouinciæ.

*Salm. c. 8.*

*Vallis. 1593.*

*Rom. 1587.*

10. Non potest Commissarius mittere Fratres extra Prouinciam, nisi ad præsentiam Patris Generalis pro negotiis Prouinciæ, nec recipere ad habitum, vel ad Professionem Nouitios, nec dare patentes pro Ordinibus, sed relinquunt Ministeris, nec dare votum in electione Ministri, & Guardianorum, quamuis possit excludere indignos, neque celebrazione Capitulum sine licentia Patris Generalis, quæ licentia potest extendi, ad alios supradictos actus; neque immutare Ordinationes & consuetudines Prouinciarum, non repugnantes præsentibus statutis, nisi cum consensu Diffinitorii, & Patrum Prouinciæ; vel cum maiori parte Capituli: neque punire Patres Reformationis, sine consensu maioris partis Patrum, & Diffinitorii Prouinciæ, quod debet obseruari etiam à Patre Ministro.

*Contr. Rom.*

*1603.*

*Vallis. 1593.*

11. Officium Commissarii non duret ultra tres menses & celebrato Capitulo ultra viginti dies nisi a Patre Generali fuerit ipsi prorogata facultas

12. Non mittatur Commissarius pro casu particulari, nisi fuerit vrgens, & ad instantiam maioris partis Prouinciæ, & talis Commissarius non præcedat, nec Ministrum, neque Guardianum,

nisi

nisi fuerit destinatus supra ipsos, vel in patentibus  
aliter fuerit declaratum.

13. Circa finem Visitationis mittat litteras per totam Prouinciam, significando locum & tempus, quo debet celebrari Capitulum, & intimando vocalibus, ut conueniant ad illud duobus vel tribus diebus ante, & non plus præcipiendo illis ut omnes veniant pedestre, & cum religiosâ modestia, & ordinando, ut fiant Orationes continuæ ab omnibus pro prospero successu actionum capitularium, specialiter post vesperas & laudes recitetur. Veni Creator Spiritus, cum orationibus de Spiritu Sancto, de Beata MARIA Virgine, de Patre Sancto FRANCISCO cum suis versiculis & Responsoriis. Et hæ litteræ statim ac fuerint acceptæ legantur coram Fratribus congregatis in Refectorio ad signum campanulæ, inde mittantur per fidelem nuntium ad vicinorem Conuentum, & sic de singulis.

14. Conuentus pro Capitulo celebrando determinatur à Patre Generali, vel à Commissario cum Diffinitorio.

15. Ad hoc Capitulum debent conuocari, Minister, Custos, Diffinitores actuales, Guardiani, Procurator, & Diffinitores Generales in suis Province, & Patres perpetui Ordinis, si ibi fuerint; nec alij præter istos habebunt votū in Capitulo.

16. Si aliquis ex vocalibus citatus, sine causa Tolet. 1633.  
neglexerit venire ad Capitulum, priuetur voce  
actiua & passiua per tres annos.

17. Celebrabuntur Capitula de triennio in triennium, nisi interuenerit mors, renuntiatio, vel priuatio Ministri: & hoc debet iuridicè determinari à P. Generali & à Patribus Reformationis. Quod si Minister in hoc casu sponte resignauerit officiū,  
habeat

*ibidem.*  
*Refor. c. 8.*

*ibidem*

*Salman e. 8*  
*Vltram. c. 7.*  
*Vallis 1593.*

*ibidem.*

habeat votum in Capitulo, & in actionibus Capitularibus: aliter non.

*Vetus Con-*  
*fuetudo.*

18 In die electionis summo mane, in omnibus Conuentibus Provincie, cantetur, vel legatur Missa de Spiritu Sancto, sed in loco Capituli, cantetur solemniter. Quā finita ad sonum campanulae congregabuntur omnes vocales in Refectorio, vbi Præsidens Capituli, breuiter hortabitur vocales ad eligendum personas idoneas, & bene meritas: quā exhortatione finita, vocales genu flectent & postquam dixerint Confiteor, idem Præsidens absoluet illos in sequenti forma

*Misereatur vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, &c.*

*Indulgenter am & remissionem &c.*

**D**ominus noster IESVS Christus vos absoluat, & ego auctoritate ipsius, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Sanctæ Sedis Apostolicae mihi in hac parte commissa & vobis concessa, absoluo vos ab omni vinculo excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, si quo innodati estis, & restituo unioni, & participationi fidelium, nec non Sanctis Sacramentis Ecclesiae, dispensando vobiscum in omni sententia irregularitatis, si quam incurristis, & ad effectum electionis Canonice, ac rite nunc per vos celebrandæ, quatenus opus sit, & indiget, vos habilito, in nomine Patri, & Filii, & Spiritus Sancti.

Finita hac absolutione genu flectet etiam Præsidens, & intonabit Hymnum Veni creator Spiritus &c. Et Patres capitulares prosequentur alternatim: quo absoluto recitabuntur sequentes Versiculi & Orationes...

v. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

v. *Qui fecit cœlum & terram.*

v. *Sicut nomen Domini benedictum.*

v. *Ex hoc nunc & usque in seculum.*

v. *Deus virtutum conuertere.*

v. *Respice de cœlo, & Visita vineam istam.*

v. *Memento congregatus tuus.*

v. *Quam possedisti ab initio,*

v. *No*

- ¶. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.
- ¶. Sed cito anticipent nos misericordiae tuae.
- ¶. Elige David scrum tuum.
- ¶. Pascere Iacob & Israël hæreditatem tuam.
- ¶. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
- ¶. Et ronouabis faciem terræ.
- ¶. Domine exaudi orationem meam.
- ¶. Et clamor meus ad te veniat.
- ¶. Dominus vobiscum.
- ¶. Et cum spiritu tuo.

## OREMVS.

**D**omine qui corda nostri omnium, cui omnis voluntas loquitur,  
 & quem nullum later secretum, ostende nobis quem elegeris  
 accipere locum Ministerij huius, in quo, pio in nos studio semper  
 placitus familiam tuam virtutibus instruat, & fidelium mentes  
 spiritualium aromatum odore perfundat. Per Christum Dominum  
 nostrum, Amen.

19. Deinde à Præsidente & Diffinitorio eligan-  
 tur tres disquisitores, qui sint de corpore Capitu-  
 li, sed non concurrentes; quibus Præsidens præ-  
 cipiet sub pena excommunicationis latæ senten-  
 tiæ, ut nunquam manifestent in ullo casu nomen  
 alicuius electoris.

20. Quo facto postquam sederint vocales, Mi-  
 nister genuflectet, renuntiabit Sigilla Præsidenti  
 & dicet culpam suam, cui respondebit Præsidens,  
 sicut Deus inspirauerit.

21. Disquisitores sederbunt in una mensa distin-  
 cta, ex qua possint ab omnibus videri, & in medio Tridem.  
 fideat ille qui erit aptior pro officio Secretarii vel Six-  
 dignior; afferentur in dicta mensa necessaria ad  
 scribendum, & duo vascula ad colligendum sche-  
 dulas electorum, quæ debent scribi in sequenti  
 forma: Ego Frater N Guardianus Conuentus N.  
 & totum hoc erit obsignatum; inde prosequatur,  
 vt

Vallis. fol.

1593.

 tridem.  
 sis §. & ve-  
 tis consuetu-  
 do.

ut possit legi: Nomino in Ministrū Patrem N. & qui nesciret, vel non posset scribere, procuret sibi fieri schedulam ab uno ex disquisitoribus. Quod si esset aliquis infirmus in Conuentu Capituli, qui non posset descendere ad Refectorium, mittantur ad ipsum duo disquisitores, & scribant ipsi, vel recipiant ab ipso schedulam scriptam ut supra, & in vasculo ferant ad Refectorium, & præsentibus omnibus, ponant illam in vasculo aliarum chartularum & sub pena eiusdem excommunicatio-  
nis teneantur seruare secretum.

*Salm. 1618.* 22. Qui dederit votum sibi ipsi in electionibus, priuetur voce actiua & Passiua in perpetuum.

*Paulus 5. Pastoralis.* 23. Aduertendum est esse excommunicatos, excommunicatione reseruata Pontifici, illos qui per sex menses ante Capitulum faciunt subornationes in electione, nimirum illi qui donis, promissionibus, minis, precibus importunis, falsis laudibus, vel calumnis inducunt, ut detur sibi votum, vel alijs, vel ad tales finem faciunt ligam & conspirant. Quod non intelligitur de illis, qui colloquuntur ad consulendum de sufficientia subjectorum. Sunt etiam excommunicati illi, qui mediantibus fauoribus procurant dignitates & officia: & illi qui ad tales instantiam ipsis concedunt. Et tam isti quam illi declarantur priuati actibus legitimis, ad arbitrium Capituli Prouincialis.

*Refor. c. 8.* 24. Debet haberi catalogus omnium vocaliū, & singuli secundum ordinem vocati, ibunt & ponent schedulam in vasculo.

*Salmin. c. 8.* 25. Omnibns Schedulis allatis, & repositis in vasculo, Præsidens illas exponet supra mensam, videntibus disquisitoribus, easque numerabit ad sciendum, vtrum corresponeant numero electo-  
*Valis. 1593.* rum.

rum. Postea singulæ legantur à Præsidente & disquisitoribus, qui omnes notabunt vota, & concurrentes, specialiter ille qui habebit officium scriptoris, cuius notata debent diligenter videri & obseruari ab alijs sociis.

26. Et in casu quo nullus haberet maiorem *Clem Exim.* partem votorum, fiant alia scrutinia, usque dum *§. significat.* eligatur unus cum maiori parte votorum. Quod si in illa eadem die vix ad noctem non fieret electio, erit in libertate Patris Generalis nominare unum, qui secundum Deum ipsi videbitur idoneus.

27. Peracta electione comburentur omnes schedulæ, præsentibus omnibus Capitularibus, & postea disquisitor secretarius publicabit electiones in hac forma.

*C. qualiter,  
§. cù.*

*In nomine Domini Amen.* Hæc est Electio Reuerendi Patris Ministri, huius Nostræ Provincie Reformatæ per Pares Vallales in loco N. N. capituloiter, & legitime congregatos. Anno Domini N. die vero N. Mensis N. canonice ac rite celebrata, in qua quidem electione P. F. N. habuit vota N. & P. F. N. habuit vota N. & ego F. N. unus ex Disquisitoribus, & compromissariis virtute compromissi in me, & Socios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam Electionem conuenierunt, & consenserunt, præfatum R. P. F. N. Ministrum canonice Electum nomino, & sic electum denuncio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Hoc Finito duo Cantores intonen Te Deum laudamus &c. Et cantantes processionaliter cant ad Ecclesiam, in qua recitabuntur sequentes Versus, & collectæ.

- ¶. Benedicamus Patrem & Filium, cum sancto Spiritu.
- ¶. Laudemus & superexaltemus eum in secula.
- ¶. Confirmas hoc Deus, quod operatus es in nobis.
- ¶. A templo sancto tuo quod est in Ierusalem.
- ¶. Fiat manus tua super virum dexteræ tue.
- ¶. Et super filium hominis, quem confirmasti tibi.
- ¶. Dignare me laudare te Virgo Sacra.

- ¶. Da mihi virtutem contra hostes tuos.  
 ¶. Domine exaudi orationem meam.  
 ¶. Et clamor meus ad te veniat.  
 ¶. Dominus vobiscum.  
 ¶. Et cum Spiritu tuo.

## OREMVS.

**O** Mnipotens Sempiterne Deus, miserere famulo tuo Ministero nostro, & dirige eum secundum tuam Clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

**C** oncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitatem gaudere, & Gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & aeterna perfrui lœtitia.

**D**eus qui Ecclesiam tuam Beati Patris nostri Francisci meritis, fætu nouæ prolis amplificas; tribue nobis ex eius imitacione terrena despicer, & Cœlestium donorum semper participacione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

*Salman. c. 8* 28. Absolutis gratiarum actionibus Præsidens confirmabit in officio Ministrum, qui postquam sederit ad partem sinistram altaris, omnes Fratres ibunt, & reddent ei obedientiam, &c.

*Vallis. 1593.* 29. Debent postea eligi eadem die / nisi vellent hoc facere de mane post electionem Ministri, quod relinquitur in dispositione Præsidentis ) Custos ad dandum votum in Capitulo, vel Congregarione Generali; & quatuor Diffinitores Prouinciaz, in quorum electione debet seruari totaliter forma præscripta pro electione Ministri, videlicet, ut eligantur à maiori parte Vocalium Capituli, cum schedulis, in qua simul nominentur Custos & quatuor Diffinitores, & non plures; quod si continget plures eligi; quam fuerit numerus præscriptus remanebit nec admittetur pro Diffinitore ille qui habebit minora vota.

Omnes

30. Omnes isti, nimirum Minister *actualis*,  
*Custos vocalis*, qui declaratur primus Diffinitor  
*Prouinciaz*, usque ad sequens Capitulum, quatu-  
*or Diffinitores actuales*, Procurator & Diffinito-  
*res Generales reformati actuales* in suis Prouinci-  
*is & discreti perpetui Ordinis: hi autem sunt qui*  
*fuerunt Ministri Generales*, aut Vicarij Genera-  
*les totius Ordinis*, per spacium duorum anno-  
*rum*, vel Commissarii Generales Cismontani, ele-  
*cti secundum Bullam vnionis (si erunt præsentes)*  
*debebunt eligere Guardianos, Vicarios, Magi-*  
*stros Nouitiorum, Confessarios Monialium, col-*  
*locare familias, instituere Lectores, Prædicato-*  
*res, Confessarios, Examinatores, & alia negotia*  
*grauia Prouinciaz tractare, pro quibus necessaria*  
*est congregatio Patrum, secundum antiquam*  
*consuetudinem Religionis, quod præstabunt fin-*  
*gulis annis, in congregatione Capitulari, quæ*  
*celebrabitur (petita prius licentia à Patre Gene-*  
*rali) in secunda vel tertia Hebdomada post Pa-*  
*scha, si erit possibile, & intimabitur à Patre Mini-*  
*stro, per totam Prouinciam, ut orationes & Sa-*  
*cificia fiant, sicut in Capitulo Prouinciali. Sed*  
*tempore Capituli ad omnes actiones concurrat*  
*Minister immediatus.*

31. Qualitates eorum qui debent eligi sequen-  
*tes sunt: Minister Prouincialis debet ad mini-*  
*mum habere triginta quinque annos ætatis, &*  
*quindecim Religionis, obseruare vitam commu-*  
*nem in virtu & vestitu, & vt pedester eat, & sit*  
*Lector aut Concionator, vel bis saltem fuerit elec-*  
*tus Guardianus, & laudabiliter se gesserit in illo*  
*officio vel habuerit gradus maiores, quiue va-*  
*cauerit per sex annos à simili officio iuxta Constitu-*  
*tiones Apostolicas. Et qui aliter fuerit electus,*

*Ibidem*  
*Clemens 8.*  
*Seraph. Ord.*  
*Grægor. 13.*  
*Militantis.*  
*Tolet. 1633.*  
*Rom: 1639.*

*Ibidem*  
*Trid. sess. 24*  
*c. 1. § 3.*  
*Vallis. 1593.*

sua electio declaratur nullus: quem admodum si eligatur aliquis, qui non fuerit induitus in Provincia, vel saltē decennio ante incorporatus in illa.

Trid. sess. 24

c. 3.

**32.** Minister tenetur Visitare Prouinciam saltem bis in anno. Et in prima Visitatione inquiret, qui indigent vestibus seu indumentis.

**33.** Non potest mittere suos Fratres extra provinciam, nisi propter negotia, & tantum ad viciiores Prouincias, & Romam nonnisi propter causas publicas Prouinciaz, & cum consensu Diffinitorij, iuxta Decretum Apostolicum. Et cui concedet Obedientiales, debet limitare ipsi tempus morandi & redeundi. Aliter puniatur a Commisario.

ibidem,

Congr. Rom.

1642.

**34.** Et ut sciatur quando exit ad iter faciendum, Guardianus notabit in obedientialibus dictum quo Frater egreditur. Et qui missi fuerint extra Prouinciam ut supra, vel qui non habuerint testimonium temporis & diei, qua egressi sunt, declarentur Apostatae; in quam pænam incurrent etiam illi, qui ambulabunt sine socio. Quod si non ostenderint fidem authenticam, ubi & quomodo reliquerint socium, a Guardianis ad quos peruerterint, absoluantur tanquam Apostatae. Quique sine legitima causa iudicata a Diffinitorio, licet cum licentia superiorum maiorum morabitur per annum integrum extra suam Prouinciam pro suo libitu: regressus postea non possit habere gradum, nec dignitatem, nec tempore illius Ministri, nec minus in futuro Capitulo, & habeat ultimum locum toto tempore, quo priuatus fuerit, & manserit extra prouinciam.

**35.** Debent Ministri notare in uno libro negotia conclusa, & determinata tempore sui Officij, in Congregationibus, vel Capitulis, & etiam nomina

Vallis. 1593.  
Salm. c. 8.

mina, causas, & sententias, per extensum iam determinatas & finitas, & illos qui fuerunt incarcerati, Canonice admoniti, & Iudicialiter puniti. Quod si non fecerint, priuentur voce actiuæ & passiuæ per tres annos.

36. Si exierit Minister extra Prouinciam, manusurus ultra octiduum, teneatur instituere Commissarium loco sui, cum consilio Diffinitorij.

ibidem.

37. Non potest habere plures, quam duos socios bonos, & exemplares.

ibidem.

38. Si obierit Minister in Prouincia, superior Conuentus in quo mortuus fuerit, simul & Secretarius eiusdem Ministrorum, accipiant omnes scripturas, & Sigilla Prouinciae, quæ ferant ad primatum Patrem illius Prouinciae, qui sine mora convocabit Diffinitorium, & elget Vicarium Provinciale, in qua electione habebit votum actiuum & passiuum, consulto prius Patre Generali, si intriduum adiri poterit, alias non; sed procedatur ad Electionem, absque eo quod expectetur responsum. Quod si moriatur extra Prouinciam, illam gubernet & regat Commissarius quem ipse reliquit usque ad aliam ordinationem Superioris Generalis.

Rom. 1639.

39. Ministro tanquam Superiori Ordinario tenentur obedire omnes Fratres Prouinciae, & etiam extranei, & Apostatae in casibus permisssis à Statutis presentibus, vel legibus Canonicis. Non poterit priuare Guardianos, vel Confessarios Monialium, sine Diffinitorio, licet possit illos suspendere ab officio per duos aut tres menses ad summum.

Rom. 1571.

Salm. c. 8.

40. Custos Vocalis & Diffinitores debent eadem habere qualitates, quæ sunt necessariae pro Ministro Prouinciali.

Rom. 1587.

41. Custos tenetur ire ad Capitulum vel Congre-

Salm. c. 8.

gre-

## CONSTIT. CAPVT VIII.

Vlerandi c. 7

gregationem Generalem, & ferre secum litteras patentes suæ electionis subscriptas à Ministro & Diffinitoribus actualibus, & obsignatas sigillo Majori Prouinciae, & etiam omnes scripturas, quæ fuerint contra Generalem vel Prouincialem vel de negotijs publicis Prouinciae vel ( si non adfuerint tales scripturæ ) ferre secum testimonium subscriptum & obsignatum vt supra ; quod scilicet non sunt. Insuper debet habere notam Conuentuum, & Fratrum viuorum, & mortuorum, ab ultimo Capitulo vel Congregatione Generali, & Monasteriorum Monialium, & numeri ipsorum, ea que omnia præsentare Patribus in Capitulo Generali. Qui autem defecerit in hoc, non admittatur ad suffragandum in Capitulo.

Congr. Rom. 42. Custos non legitimè impeditus, si intermit-  
t 1615. tat ire ad Capitulum, priuetur actibus legitimis à Patre Generali. Quod si fuerit legitimè impedi-  
tus, vel moriatur, vel resignet, eligatur alius à Diffinitorio & Patribus Prouinciae, & ille prior ha-  
beatur statim pro absoluto à suo officio.

ibidem. 43. Si Minister legitimè impeditus non poterit  
Salm. c. 8. ire ad idem Capitulum Generale, mittetur loco sui Commissarius eligendus à Ministro, Diffinitoribus Custode, & Patribus Prouinciae. Tam iste Commissarius, quam Custos, si essent impediti, & non possent peruenire ad Capitulum, tunc nec possunt mittere alios, nec instituere Procuratores, qui dent votum ipsorum nomine.

Refor. 1639. 44. Ibunt ad Capitulum Generale Minister & Custos, singuli cum uno socio, & non pluribus, pedestres, pauperes & modesti secundum Regulā. Quod si non potuerint ire, mittant alios loco sui vt supra.

Roms. 1638. 45. Non possunt duo consanguinei esse in eodem  
Def-

**CONST. CAPVT VIII.**

Diffinitorio, multò minus, vñus Frater potest succedere alteri immediatè post Ministeriatum: quod si contrarium fieret electio sit nulla.

46. Præcipitur per sanctam Obedientiam, vt Congr. Rom. Prouinciales distribuant tempus sui officij per Cōuentus Prouinciarū, secundum necessitatem, nec consumant maiorem partem illius in uno Conventu.

47. Quandoquidem Guardiani sint Prælati, & Rom. 1642. debent Canonicè eligi, mandamus vt in posterum elegantur per vota secreta in sequenti forma.

Primò antequam ingrediatur Diffinitorium, Patres discurrant inter se de meritis & qualitatibus subiectorum, seu personarum, & præcipue inuigilent, & attendant circa iustitiam distributiam, vt pax seruetur & manuteneatur, & sine qua non debent procedere ad electionem.

Postea Præsidens vel Prouincialis proponat aliquem idoneum pro quolibet Cotuentu, & sumantur globuli nigri, & albi, & secreto sine alia discussione mittantur in vasculum. Quod si major pars fuerit affirmatiua, habeatur pro electo; si autem non, proponatur alia, usque dum sequatur electio Canonica. Quod si vota fuerint æqualia, tribus vicibus, Præsidens determinet, & decidat sicut Dævs ipsi inspirabit. Reliqui Officiales sicuti sunt Confessarij monialium, Magistri nouitiorum, Lectores, Examinatores, & similes, instituantur sicut proposuerint supradicti, communī consilio, & consensu Diffinitorum, iuxta consuetudinem Religionis.

48 In dandis votis, & singulorum opinionibus Vallis. 1593 dicendis, in Congregationibus Patrum, semper à minori incipiendum erit, vt libertas sit in susstragendo.

49. Si

*Valis. 1593.* 49. Si aliquis ex Diffinitoribus moriatur, in Rem. 1600. telligitur ipso facto subrogatus ille Pater Prouin- & 1639. ciæ, qui fuerit dignior in paternitate, & talis si du- rabit per duos annos in Diffinitoriatu, non possit in sequenti Capitulo eligi in Diffinitorem. Et si subrogatus non vacabit per duos annos, post sub-rogationem, non possit denuo subrogari, sed di- gnior post ipsum subrogandus est. Quod si nullus extiterit Pater, subrogetur Guardianus Conuen- tus Principalioris

*Clemens 8.* 50. Prohibetur per Constitutionem Apostoli- cam eligere in Diffinitorem, vel custodem illum, *Grægor. 13.* qui non vacauerit, per duo, vel saltem per vnum Capitulum Prouinciale, ex quo fuit electus.

*Rom. 1639.* 51. In defectu alicuius Diffinitoris, qui non possit venire spatio trium dierum, subrogetur ut supra dignior Pater, aliter actiones & electiones sunt nullæ.

*Refor. 1639* 52. Diffinitores præcedant secundum antiqui- *& 1642.* tatem Ordinis. Et vt sciatur quales sunt Patres, & qualiter debent præcedere, declaratur quod præcedere debent

1. Minister Prouincialis actualis.

2. Illi qui fuerunt Generales, aut Commissa- rii Generales, qui tantum vnum superiorem actualem supra se habebunt

3. Qui fuerunt Procuratores, & Diffinitores Generales.

4. Qui fuerunt Ministri in propria vel aliena Prouincia.

5. Qui fuerunt Custodes regiminis, in sua vel aliena Reformatione.

6. Qui fuerunt Secretarij Generales per tres annos secundum Bullam vnonis.

7. Qui fuerunt Guardiani Ierósolymitani.

8. Cu-

8. Custos Vocalis, & Diffinitores actuales durante officio.

9. Prouinciales actuales etiam extra suam Prouinciam, præcedant illos qui fuerunt Prouinciales.

10 Post istos supradictos præcedant Lectores actuales Theologiae.

11 Guardiani in suis Conuentibus præcedant omnes præter suos Superiores actuales.

12. Vicarij præcedant omnes alios, & præter supra dictos Patres Ordinis & Prouinciæ, sed in Refectorio sedeant immediate post Guardianos ; & in absentia ipsorum in publicis actionibus præcedat etiam supra dictos. Post quos præcedant Sacerdotes, postea Clerici, & vltimi Laici, secundum antiquitatem receptionis ad habitum.

13. Ad obuiandum omni confusione, seu discordia, quæ posset in hoc oriri, Superiores sub poena priuationis sui officij ipso facto incurrenda, procurerent ut inuiolabiliter obseruetur dictus præcedentia ordo, iuxta Breue Sanctissimi Domini Nostri perpetuam res VRBANI VIII.

53. Non possunt eligi in Guardianos, qui non obseruant vitam cōmunem, & non compleuerint triginta ætatis annos, & decem Religionis.

54. Pro prima vice non duret in Guardianatu nisi per annum. Pro secunda, potest continuare per tres annos, videlicet biennio in uno Conventu, & uno anno in alio, sed Diffitorum iusta ex causa poterit in hoc dispensare, & finito triennio vacet per annum.

55. Non possunt institui Præsidentes, nec in illo, nec in alio Conventu : & ubi fuerūt Præsidentes, non possunt immediate eligi pro Guardianis, sed vacent per annum, & hoc sub poena nullitatis electionis.

*Urbanus 8.  
Cum sicut dis-  
tinctus & Ad  
Ecc.*

*Vallis. 1593.  
Salm. c. 8.*

*Paulus 4.*

Vallis. 1593.

56. In omni Capitulo & Congregatione teneantur resignare Officium: & si non fecerint habentur pro renuntiatis, sicut & Confessarius Monialium.

ibidem

Refor. 1639

57. Qui semel fuit priuatus Guardianatu, vel alio maiori Officio, propter delictum scandalosum, non potest eligi in Guardianum, nisi prius habilitetur à Capitulo per vota secreta.

58. Ministri in Capitulo, in quo absoluunt officium, Diffinidores actuales, & Custos vocalis, non possunt eligi in Guardianos, nec in Vicarios, nec in Confessarios Monialium; & hoc indipendiabiliter.

ibidem

Refor. c. 8.

59. Qui aliter elegerit, quam fuerit supra ordinatum, priuetur voto, & officio, ad arbitrium Patris Generalis.

60. Si moriatur vel vacet aliquis Guardianus, ante Festum S. P. N. FRANCISCI, teneatur Minister cum Diffinitorio eligere unum alium: sed si post Festum moriatur, Minister instituat ibi unum Præsidentem, usque ad Capitulum, in quo non habebit votum.

Refor. 1639  
et 1642.

61. Nullus Lector actualis potest esse simul aut Guardianus, aut Vicarius: nec Vicarius Conuentus Principalis possit esse, qui non habuerit conditiones Guardiani, sub poenis supra dictis. Qui quidem Vicarij teneantur obseruare ordinationes suorum Guardianorum, etiam quando sunt absentes à Conuentibus; nisi gubernent independenter ab ipsis, sicuti quando cunt extra Provinciam ad longum tempus.

Paris. 1589.

62. In omni Conventu collocetur de familia aliquis Prædicator, vel vir doctus, pro satisfactione populi.

Clemens 8. 63. Reformationes habebunt Procuratorem Gen-

**CONST. CAPVT VIII.**

Generalem subditum in omnibus Superioribus Generalibus: qui gaudebit omnibus Priuilegijs & gradibus quibus gaudet Procurator Generalis Ordinis. Ad quem spectabit tractare, & expedire negotia Prouinciarum Reformatarum, exceptâ Prouinciâ Romanâ, quæ cum sit in ipsa Curia, perse gubernatur, sicuti est consuetudo.

64. Qui sine licentia dicti Procuratoris tractabit negotium spectans ad supra dictam Reformationem, incareretur per duos menses.

65. Non poterit Procurator tractare negotia pertinentia ad totum Ordinem, vel Reformatum, quæ habeant speciem diuisionis, vel nouitatis sine consensu in scriptis maioris partis Ministrorum; sub poena inhabilitatis ad Officia Reformationis, nisi fuerit dispensatum cum ipso à Capitulo Generali.

66. Non tractabit negotia sacerdotalium, nec se ingeret in regimina Reformationum, neque dabit obedientiales Fratribus, nisi tantum Apostatis, vt redeant recto tramite ad suas Prouincias, postquam illos in Carcere detinuerit, sicut videbitur expediens, & secundum leges Apostatarum, nec poterit illos aliò mittere, vel detinere Romæ pro negotijs: nihilominus poterit detinere aliquem extraneum in aliquo Conuentu Prouinciarum Romanarum, in quo magis expediens videbitur Patri Ministro illius, usque dum expediantur sua negotia.

67. Super extraneos qui veniunt Romam habebit ipse autoritatem per tres dies: postea remanebunt sub regimine Patris Guardiani Conventus Sancti FRANCISCI. Poterit nihilominus ut operâ ipsorum, sicuti sibi expediens iudicabit.

*Vrbanus 8.  
Rom. 1639.*

*Salman. c. 8*

*Refor. c. 8.*

*ibidem.*

*Refor. c. 8.*

## C A P V T I X.

Fratres non prædicent Sc.

*Salm. c. 8.  
Vall. sol.  
1593.*

1. PRæcipimus Ministris sub pœna priuationis suorum Oficiorum, vt in omni Provincia habeant saltem vnum studium Theologię, duo Logicę, & Philotophię, & adhuc vnum Theologię Moralis, vel Catuum conscientię; & in illis collocabunt iuuenes aptos, & idoneos pro studio, à quibus profectus speratur. Instanter procurent, vt frequenter & solicité incumbant lectionibus, repetitionibus, & disputationibus, mortificando, & puniendo illos, qui erunt negligentes, etiam cum priuatione studij & alius pœnis. Quod si lectores doctrinę moralis repetitiones & disputationes habebunt, sicut alij Lectores Theologię, sicuti nos illis imponimus & ordinamus, habeant exemptionem à Choro sicut alii.

2. Ac proinde prohibetur ne studiosi mittantur pro studio extra Prouinciam, sub quounque prætextu, & illi qui reperiuntur absentes, virtute huius statuti teneantur quam primū redire ad suas Prouincias. Quod si non habeant Lectores, petantur à Patre Generali. vt ex alia Prouincia illos mittat.

3. Nullus ex Studiosis possit transire ex Logica ad Philosophiam, nec ex Philosophia ad Theologiam, nisi prius fuerit examinatus in præsentia Diffinitorii, & tali transitu dignus iudicetur à tribus examinatoribus.

*Salm. c. 9.  
Neap. c. 50.  
Rom. 1587.* 4. Nonnisi in Capitulo vel Congregatione Capitulari possint institui Lectores, Prædicatores, & Confessarii sœcularium, vel Fratrum. Et post-

postquam fuerint instituti , non possunt exercere officium, nec gaudere titulo Lectoris, Còncionatoris &c. nisi prius examinentur . & approbentur à tribus examinatoribus , simul cum Ministro , vel leorsim.

5. Prædicti examinatores debent eligi à Diffinitorio in Capitulo , vel Congregatione , & durabunt per totum triennium , nisi in congregatione fuerint alij electi . Officium illorum est examinare supradictos , & etiam Clericos , qui mittuntur ad Ordines , in quibus etiam debent obseruare morum bonitatem.

Clemens 8.

6. Teneantur Lectores Theologiæ per spatium quatuor annorum legere omnes materias , quæ continentur in quatuor libris Sententiarum Scotti , non legendō totaliter litteram , sed ab ipso eliciendo doctrinam , quam poterunt accommodare cum doctrina Sancti Bonaventuræ , & aliorum approbatorum Scholasticorum , supra omnia tenentes doctrinam Sanctorum Patrum & Conciliorum . Hac de causa conceditur ipsis ad maiorem breuitatem , & claritatem , vt possint dare scripta.

Vallis. 1593.

Neap. c. 50.

Rom. 1612.

7. Utque Lectiones ipsorum tendant in utilitatem studiosorum , non possunt per se determinare materias , sed conferant illas cum Patre Ministro , & cum consensu suo legatur illud quod fucrit ordinatum . Lectores autem Logicæ & Philosophiæ teneantur ī patio trium annorum absoluere totum incepsum cursum , docentes , & instruentes Studiosos in bona Philosophia , doctrinam Scotti oretenus , vel in scriptis tradendo.

Refor. 1639

8. Supradicti Lectores negligentes præfatas Vallis. 1593. ordinationes , vel notabiliter intermittentes suas lectiones , priuentur Lecturâ à Patre Ministro , vel à Patre Generali , si fuerint ab ipsis instituti.

*ibidem**Refor. 1639.*

9. Sub ijsdem pænis teneantur Lectores Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ ac Moralis, bis in Hebdomada habere repetitiones: & singulis Mensibus Conclusiones iam discussas defendere, & in fine anni publice disputare in Schola ex omnibus Conclusionibus, quas illo anno docuerunt & inuitabunt aliquem Religiosum extraneum, seu alterius Religionis. Sed nullo modo imprimantur Conclusiones cum stemmatibus, & aliis vanitatibus non necessariis, & non permissis à Regula: transgressores in hoc puniātur tanquam proprietarij.

*ibidem*

10. Ut autem Studiosi habeant tempus ad studendum, præcipitur superioribus, vt non mittant illos extra Couentum nisi semel spatio quindecim dierum: nec mittant eos solos simul associatos, sed cum aliis Fratribus Conuentus. Qui alter fecerit, puniatur à Superiore.

11. Conceditur Studiosis Theologiæ abesse à prima & tertia, nisi illo tempore habeatur lectio; & etiam à Matutino, & aliis horis diurnis, quando defendent Conclusiones publicas mensis vel anni.

12. Eloquia nostrorū Prædicatorum, sint exacta minata & casta, & spirent non vanitates, & levitates Academicas, sed Spiritum Seraphicum, & Apostolicum: dirigantur ad destructionem vitiorum, & ædificium virtutum, & non ad prædicandum sibi ipsis, vel ut placeant hominibus. Fugiant conuersationes cum sæcularibus, nec scandalum præbeant, destruendo operibus, quod ædificant verbis. Si autem quod Deus auertat contra aliquem Concionatorem, vel ipsius socium, constaret fuisse ab ipsis datum scandalum, vel more sæcularium vixisse, priuetur Concionator perpetua

*Salman e. 9  
Pallij. 1593.*

tua

fua prædicatione, & etiam incarceretur ad arbitrium Ministri, & socius incarceretur per duos menses. Et si fuerit vanus in loquendo, moneatur temel & bis, & tertia vice sit ipsi prohibitum officium prædicandi, quoisque iudicio Patris Ministri non se emendauerit.

13. Si quis procurauerit Cathedram particula- Rom. 1600.  
rem per sacerdotes, sine licentia Ministri, priuetur Tolet. 1633.  
ipia, & non permittatur prædicare in illa.

14. Siquis audeat prædicare contra personam particularem, vel Religionem, vel Prælatos Ecclesiarum, vnde exoriatur scandalum, & commotio in populo, priuetur ipso facto Officio Concionatoris, & actibus legitimis, & rigidius puniatur ad arbitrium Diffinitorii. Salm. cap. 9.  
Vallis. 1593.

15. Si aliquis concionabitur propter interesse & auaritiam, vel in Concionibus recommendet Rom. 1600.  
Salman. c. 9.  
quæstas pecuniarias pro se, vel suis Fratribus, puniatur tanquam proprietarius: non tamen prohibetur, quin possint superiores mittere aliquem Tolet. 1633.  
Urbanus 8.  
Militantis.  
pro Concione in pagis & oppidis, & in concione recommendare quæstam alicuius rei necessariæ, & concessæ in Regula.

16. Nullus potest declarari Confessarius sacerdotium, si non habuerit trigesimum annum completo, secundum Constitutionem Apostolicam. Superior qui aliter fecerit priuetur actibus legitimis. Et sub pena arbitraria superiori infligenda non potest aliquis admitti ad audiendas Confessiones Fratrum, si non habuerit eandem etatem. Neap. c. 23.  
AQU. 1579.  
Valis. 1593.  
Clemens 8.

17. Nullus habebit autoritatem excipiendi Refor. c. 9.  
Confessiones sacerdotium, nisi in Tabula Capituli, vel Congregationis fuerit collocatus, & institutus pro Confessario; sub pena priuationis vocis actiuarum & passiuarum per decennium, & sub pena suspensionis

sionis à Confessione Erit tamen licitum Ministerio cum consensu Diffinitorii instituere aliquē Confessarium infra annum.

*Vallis. 1639.* 18 In Cellis non excipientur Confessiones sacerdotalium, vel Fratrum iuuenum minorum viginti quinque annis, sub pena priuationis voti per tres annos transgressoribus, ac etiam Fratribus, qui confitentur.

*Ibidem.* 19. In Confessionalibus sint laminæ ferreæ vel æreæ, siue ligneæ cum foraminibus ita angustis, ut per ipsa non videatur facies, sed tantum audiatur vox pénitentis.

*Ibidem.* 20. Specialiter non excipientur Confessiones mulierum extra dicta Confessionalia: exceptis casibus surditatis, magni concursus populi, sicut tempore Iubilei &c. senectutis, personæ qualificatae, & similium. Quod si aliquis ex Confessarijs dilabat, vel disrūperat tales crates, vel admonito Guardiano non procurauerit illas reparari, suspendatur à Confessione & officio.

*Ibidem.* 21. Omnes Fratres bis in hebdomada confitentur Confessarijs notis & assignatis à Guardiano, vt sciant oues suas cognoscere; sed Clerici & Laici iuuenes confiteantur coram suo Magistro, quibus Superior ter saltem in anno dabit facultatem confitendi alijs Confessarijs approbatis in Ordine nostro. Nam alijs extra Ordinem confiteri non est concessum, nisi in casu necessitatis. Idem prescribitur Fratribus forensibus, vt scilicet confiteantur Confessariis approbatis ut supra à Superiore.

*Salms. c. 9.* 22. Non possunt imprimi, vel in publicum dari libri cum solâ licentiâ Ordinariorum, nisi etiam adsit licentia Patris Generalis sub poenis Canonice fulminatis contra transgressores.

## CAPVT X.

*Fratres qui sunt Ministri Sc.*

**Q**uod attinet ad visitationes paternas, corre-  
ctiones morum, punitiones iudiciorias, de qui-  
bus in hoc Capitulo fit mentio, præcipimus, ut ob-  
seruetur Practica Criminalis ultimè composita, ex  
ordinatione Eminentissimi Dñi Cardinalis Prote-  
ctoris, & impressa cum Decreto Capituli Genera-  
lis, Anno Dñi 1639.

## CAPVT XI.

*Precipio firmiter Fratribus uni-  
uersis Sc.*

1. **S**pectum consortium prohibitum in Re-  
gula declaramus, non solum esse actio-  
nem, conuersationem, colloquium, quæ solent in  
ducere violentum stimulum tentationis carnalis,  
& fomentum peccati, sed etiam quocunque ex  
supradictis, quod in mente astantium possit cau-  
fare suspicionem, vel scandalum; licet non fiat,  
vel dicatur mala intentione: quod coniecturatur  
ex loco occulto, ex importunitate temporis, ex dis-  
solutione gestuum, risu, nimia approximatione ad  
mulierem, vel alias personas suspectæ ætatis, aut  
ex similibus aliis accidentibus.

2. Ac proinde si aliquis fuerit notatus de si-  
milibus suspectis consortiis, pro prima vice chari-  
tatiue admoneatur, & corrigatur: quod si se non  
ibidem.  
Refor. 1639.

L emen-

emendauerit, si est Superior suspendatur, aut priuetur officio, iuxta grauitatem culpæ; si est iubitus priuetur actibus legitimis per tres annos, & grauius puniatur vt supra. Vel cui non conuenit hæc pæna, ferat signa probationis ad arbitrium Patris Ministri.

*ibidem.*

3. Quihus pænis subiaceant iuuenes, qui cum nondum peruererint ad vigesimum quintum annum, inuenti fuerint in Cella aliorum, ita obserata, vt exterius non possit faciliter aperiri. Et iisdem pænis subiacebunt etiam illi, qui dictos iuuenes Religiosos, vel sacerdotes, detinebunt in suis Cellis vt supra

*ibidem.*

4. Qui consuevit sequestrare se à socio, vel loqui vel confuersari cum mulieribus, vnde possit oriri rationabile iudicium suspecti consortii, admoneatur: & si se non emendauerit, puniatur superdictis pænis, tanquam reus suspecti consortii, & si deinde fuerit cōdictus quod recidiuauerit, incarceretur ad arbitrium Diffinitorii.

*ibidem.*

5. Ordinamus vt quando aliquis mittitur ad excipienda Confessiones mulierum infirmarum, vel ad tractanda alia negotia, non ita ocludatur ianua, vt à socio non possit videri: Neque post pulsum pro Auc M A R I A , in sero excipientur Confessiones mulierum, sub pæna arbitraria Superiori.

S. Congr. Re-  
gul.

6. Ad domos seu habitacula Confessoriorum Monialium, non possunt introduci mulieres, sub pæna carceris, transgressoribus infligenda, ad arbitrium superioris.

Resor. c. II. 7. Nullus exorcizabit Dæmoniacos, sine licentia Ministri, cum consensu Diffinitorii in scriptis. Transgressores priuentur voto ad arbitrium superioris, vel ferant signa probationis.

8. Cir-

**Circa Moniales & Confessarios ipsarum in Refor. 1642**  
violabiliter obseruetur illud, quod determinant  
Statuta Generalia Ordinis.

## CAPVT XII.

*Quicunque Fratrum inspiratione  
Divina Ec.*

1. **Q**uod illud, quod concernit seruitium Refor. 1639.  
locorum terræ Sanctæ in Hierusalem, &  
quoad Prædicationem Verbi Dei apud infideles,  
standum erit ordinationibus Patris Generalis, &  
dispositioni Statutorum Ordinis.

2. Et quia frustra promulgantur leges, si non Refor. 1639  
obseruentur, præcipimus nostris Reformatis ob-  
seruantiam præsentium Statutorum, sub pœnis in  
ipsis contentis, cassantes, & annullantes omnia a-  
lia Statuta & Constitutiones, tam Generales, quam  
particulares, factas usque ad præsentem diem, quæ  
repugnarent præsentibus Statutis, & vitæ nostræ  
Reformatæ, secundum dispositionem Apostolicæ  
Sanctissimi Dñi Nostri Papæ VRBANI VIII.

3. Ac proinde in Casibus non repugnantibus ibidem.  
statui nostro Reformato, volumus, ut habeatur Gregor. 13.  
recursus ad Statuta Generalia Ordinis. Cum illius

4. Declarantes ea non obligare ad peccatum, itidem.  
nisi quantum obligat lex Diuina, Constitutiones Vallis 1593.  
Apostolicæ, nostra Regula, & nisi interueniat  
contemptus.

5. Declaratur etiam quod quando in præsen- Refor. 1639.  
tibus Statutis fit mentio de Patre Generali, intel-  
ligatur tam de Patre Ministro, quam de Patribus  
Vicarijs & Commissarijs Generalibus.

*Ibidem.*

6. Insuper poena probationis Caputij, quæ in multis casibus imponitur, potest commutari in aliam poenam à Patre Prouinciali, ad arbitrium Diffinitorij.

*Salm. c. 11. Valis. 1593.* 7. Denique præcipimus oranibus Superioribus localibus, vt in publico Refectorio current legi hæc Statuta, semel in quolibet semestri, vt nullus possit excusari sub prætextu ignorantiae. Deficientes in hoc priuentur suis Officijs.

*Refor. 1642* 8. Ac propterea sub ijsdem poenam teneantur Ministri per spatum vnius mensis, postquam Statuta præsentia fuerint impressa procurare, vt tot fiant, & habeant exemplaria, quot sunt Cōuentus in suis Prouincijs, & singulis vnum exemplar distribuant

*Urban. 8. Congr. Gen. Rem. 1642.* 9. Et ne quotidie multiplicentur leges nouæ, ordinatur, vt præter ista statuta Generalia compilata, & approbata non possint alia fieri, sed observentur præsentia secundum ultimam constitutionem Apostolicam eiusdem Sanctissimi Dñi. Nostri Papæ URBANI VIII.

Franciscus Cardinalis Barberinus  
Protector.



Con-

CONFIRMATIO PRÆSENTIUM STA-  
TUTORUM GENERALIUM.

VRBANVS PAPA VIII.

**A**D perpetuam rei memoriam. Ali-  
as pro Congregatione Generali proximè præterita  
Prouincijs Reformatis Fratrum Ordinis Minorum  
S. FRANCISCI de Observantia nuncupatorum, quod  
electiones in Capitulis, & Congregationibus Capitularibus  
earumdem Prouinciarum per secreta suffragia fiant, & in  
suffragiorum paritate Præsidens ipsius Capituli, seu Con-  
gregationis votum decisum habeat, ac circa transitum  
eorumdem Reformatorum ad Fratres de Familia, seu Ob-  
seruantes eiusdem Ordinis, Constitutiones Foel Rec. Cle-  
mentis VIII. nec non PAULI V Romanorum Pontificum  
prædecessorum nostrorum, & nostræ desuper editæ obser-  
uentur Apostolica auctoritate statuimus, concessimus, &  
indulsumus, & alias prout in nostris de super expeditis literis  
quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus  
pleniùs continetur. Cum autem sicut dilectus Filius Com-  
missarius Generalis eorūdem Fratrum Reformatorū Or-  
dinis huiusmodi nobis nuper exponi fecit, Statuta Genera-  
lia omnium, & singularum Prouinciarum Reformatarum  
Cismontanæ Familiaæ dicti Ordinis à nobis approbata, &  
confirmata typis mandari debeant, præmissa verò concessi-  
ones, & indulta, nec non ordo in eisdem statutis circa præ-  
cedentiam stabilitus cum nonnullis Constitutionibus Apo-  
stolicis non concordent. Nobis propterea idem Commissa-

RIUS

rius Generalis supplicari fecit, ut præmissa pro illorum  
 sistentia firmiori, Apostolicæ nostræ confirmationis patro-  
 cino communire de benignitate Apostolica dignaremur.  
 Nos igitur cumdem Commissarium Generalem specialibus  
 fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusuis ex-  
 communicationis, suspensionis, & interdicti aliquaque Eccle-  
 siasticis sententijs, cepluris & poenitentiis a iure, vel ab homine  
 quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet  
 innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat con-  
 sequendum, harum serie absoluendum & absolutum fore  
 censendum huiusmodi supplicationibus inclinati, Præfata,  
 concessiones, & indulta, Apostolica auctoritate tenore præ-  
 sentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis  
 Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos  
 tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet  
 interuererunt, supplemus, & insuper quod Diffinitores se-  
 cundum Ordinis antiquitatem præcedant. Quinam autem,  
 & quomodo præcedere debeant, ut sciatur, quod Minister  
 Prouincialis actualis, qui alias Ministri Generales, seu Co-  
 missarii Generales, qui tamen vni soli dumtaxat Superiori  
 actuali suberunt, ac qui procuratores, aut Diffinitores Ge-  
 nerales, qui propriæ aut alterius Prouinciae Ministri Pro-  
 uinciales, qui Custodes regiminis in sua, aut aliena Custo-  
 dia Reformata, qui Secretarij Generales per triennium iux-  
 ta Bullam vunionis, aut qui Guardiani Terræ Sanctæ fuerunt;  
 nec non Custos vocalis, & Diffinitores actuales durante  
 officio: Prouinciales actuales extra Prouinciam præcedant  
 eos, qui alias Ministri Prouinciales fuerunt: post eosdem  
 Ministros Prouinciales actuales, in Sacra Theologia Lecto-  
 res actuales, ac Guardiani in suis Conuentibus omnes, &  
 singulos, eorum Superioribus actualibus exceptis; Vicarij  
 omnes alios (præter Ordinis & Prouinciae Patres) præce-  
 dant, sedebunt tamen in Refectorio iuxta, & propè Guar-  
 dianos immediatè, & absentibus ipsis Guardianis in actioni-  
 bus publicis, etiam omnes supradictos præcedent: post  
 ipsos

ipsoſ autem Vicarios, Sacerdotes, deinde Clerici, & poſt Clericos, Laici dicti Ordinis iuxta antiquitatem receptionis habitus pariter praecedent, declaramus; ac ut euius perturbationi, quæ circa modum praecedentiae huiusmodi oriri posset obuiam eatur, mandamus omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus Reformatis huiusmodi ſub fuorum officiorum priuationis ipſo facto incurrena poena, vt praedictum praecedentiae modum, & ordinem inter eosdem Fratres Reformatos, vt præfertur ſtabilitum, ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari current, & faciant, & ipſimē obſeruent. Decernentes irritum, & inane ſi lecus ſuper hiſ a quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, Prouinciarum, & Custodiarum Reformatarum huiusmodi, etiam iuramento confirmatione Apoſtoliča, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & conſuetudinibus, Priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores praefentibus pro plenē, & ſufficientur expressis habendis illis alias in ſuo robore permansuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceterisq; contrariis quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Pifcatoris Die 22, Decembtis 1642. Pontificatus nostri Anno Vigefimo.

*M. A. Maraldus.*

*Locus (†) Sigilli ſub Annulo Pifcatoris.*

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO

# Forma Benedictionis pro ieiunantibus Sanctam Benedictam.

**P**rima die post absolutam Benedictam quod occurrit 16. Februarij, dato signo ad prandium; Prelatus sedebit inter omnes stabunt uero in benedictione mensa. Vocabit igitur Superior benedicendos ad locum culpa hig verbis. Venito Benedicti Patris nostri, humiliatus nos ad benedictionem. Vocati statim venient, et flexis genibus ante Superiorum, culpam recognoscent, et petent benedictionem licet. Benedictus Pater Noster qui uis antequam benedicit brevibus et efficiacibus verbis gratificabit. Imo quod constantes et patientes fuerint, Tunc quod Consilio et desiderio S. Patris Francisci satassuerint. Quod Communiam hanc dilectionem auerint. Quod secundum professam sanctam paupertatem paucis contenti fuerint. His dictis surget Prelatus, et in eodem loco suo stans dabit sequentem benedictionem.

Verg Adiutorium nostrum in nomine Domini  
Ex Qui fecit Alum et serram.  
Ex Sit nomen Domini benedictum.  
Ex Ex hoc nunc et usque in seculum.  
Ex Domino exaudi orationem meam  
Ex Nam ueritas liberabit te  
Dominus debescum. Et cum spiritu tuo

## Oremus

**D**omine Sancte Patre eterno Deus, qui corporali ieiunio uitia comprimes, mentem elewas, virtutem largiris et probitia per meritum et sacra Beatae Patris nostri Francisci ieiunia qui imitatoribus tuis sanctam Quadragesimam quod incipit ab Epiphania usq; ad 40. continuos dies uoluntarie ieiunantibus tuam uberem benedictionem promisit, quam

Dominus noster IESVS CHRISTVS Filius tuus suo ergo sancto  
re iunio consecravit et firmavit. Bene dicere digneris tua ingentis  
benedictione per ostia humilitatis servitutem huic hereditati tuae quae  
per obseruantiam sancte et Benedicti quadagesima tibi purificasti et sa-  
cificasti. Multiplica super nos misericordiam tuam, et infundo corda  
eorum Religionis Sancta Professorum augmentum, ut te super omnia diligi-  
res, tibi soli Deo puro corde et mundo corpore omnibus diebus vita su-  
a irreprehensibiliter Sanctorum Patrum exempla secundo seruiro ya-  
leant, et tandem repleti omni benedictione, hic et in celstibus aetatu  
regni gloriam cum omnibus nobis peruenire mereantur. Per eundem  
Christum Dominum nostrum. Amen.

Et benedictione perpetua Bene dicat vos Sanctissima  
Trinitas Increata, et Invicta Unitas, et Beata Virgo  
Mater Dei immaculata, atque Seraphicus Pater noster Fran-  
ciscus, et tota celstis curia beata. In nomine Patris  
et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Poterunt eadem die isti Benedicti vocari a fratribus omnibus  
Benedicti.

Frater & Mater  
Materat  
Uarßler

